

Vivat & AUSTRIACÆ majestas stirpis, & aurea
Heröum soboles, nostros quæ vivit in usus
Et nos defendit contra hostica monstra, tyrannos.
Vivat at inprimis, cui mollia fata precatur
DORNAVIUS doctâ suadelæ voce, perennè
CAROLUS hic vivat, nostratis EPISCOPUS oræ:
Vivat jo, & vivat quoq; res SILESA sub illoq;.

Devota mentis. ergo f.

*Balth. Exnerus de Hirschberga in
illustri Schönaichiano Historiar.
Professor Publ.*

S. Benigne Lector.

*In expungendis erratis, si lubet, ita versare. p. 8. v. 16. l. transferenda.
p. 15. v. 8. l. hortulanorum. p. 50. v. 5. l. in vicinia. p. 73. v. 16. l. miscere.
p. 75. v. 22. l. nasum. p. 87. v. 8. l. provocandam. Reliquas dictiuncula-
rum minutias facile quisvis observabit. Doleo tamen; me absente no-
tas Historicæ cum axiomatis præcticis nonnullibi esse confusas: quæ
diverso margine erant discretæ. Imputet hoc lector simplicitati Ty-
pographi; sed & ignoscat. V.*



CASPARIS DORNAVI
TOGATA NOBILITAS,
hoc est,


De vita & morte

GENEROSI ET MAGNIFICI
DN. CASPARIS
A METZERAD, IN MALSCHITZ
ET DOBERSCHITZ, SAC. CÆS. MAJEST.
A CONSILIIS, ET SUPERIOR. MARCH.
LUSAT. PRAEFECTI
AMPLISS, mi

ORATIO PARENTALIS.

Acceperunt

Virorum Nobilium atq; Præ-
stantium Musæ collachrymantes.




BETHANIÆ,
TTPIS JOANNIS DORFFERI.

GENEROSÆ MATRONÆ,
 DOMINÆ HELENÆ SKOPPIÆ,
 BEATI COELITIS,
 DOMINI CASPARIS MEZRADI,
 RELICTÆ VIDUÆ
 IN DOBERSCHITZ &c.
 ET EJUSDEM FR. GERMANO,
 MAGNIFICO DOMINO
 ABRAHAMO A METZERAD,
 IN MALSCHITZ ET PLESCOWITZ,
 SUPERIOR. LUSATIAE ORDINUM
 PROVINCIAL. SUPREMO SYNDICO,
 HOC
 CENOTAPHIUM LITERAR.
 JUSTI MUNERIS
 ET OBSERVANT.
 MONUMENT.
 L. M. Q.
 D.D.

CASPAR DORNAVIUS
 ἔγραψεν καὶ χάραξεν.



426431



GENEROSA MATRONA,
 MAGNIFICÆ MEZRADI,



Oculare vi-
 debatur & acerbū ju-
 diciū Tiberi Cæsaris; qui
 Legatis Illyensium, seriū
 se de obitu filii Drusi
 consolantibus, quasi ob-
 literatā jam aut defuncti
 aut luctus memoriā, non

sine risu respondit: *se quoque vicem illorum dolere*:
quod egregium civem Hectorem amisissent. Hoc ver-
 bi aculeo nemo, quemadmodum confido, me in-
 sectabitur;

* ὅστις ἢ τὸ λευκὸν εἶδεν, ἢ τὸν ὄψιον ῥόμον
 nisi, iniquus fortè rerum aestimator,

capite ipse suo instituat vestigia retrò.

Etsi enim *Ἐκαστὴ* & oportunitas utramq; facit pa-
 ginam; in quavis actione palmarium instrumen-
 tum viri cordati: hominum tamen bene de rebus,
 quā publicis, quā privatis meritorum, nulla potest
 dici tam obsoleta prædicatio: quin & gratis. vivis
 & mortuis longè dignissima videatur. Neq; enim
 ita vel ephemera, vel menstrua, vel annua erit mor-
 tuorum in nobis imago: ut eam longioris ætatis
 protractu, novā identidem recordatione excoli

A 2

non

* Qui album no-
 verit, rectoq; no-
 verit modos. Ari-
 stoph. in Equit.
 Lucret. lib. 4.

Proverb. 10. v. 7.
Sapient. 3. v. 19

Proverb. 10. v. 7.
Ibid. c. 11. v. 28.

Tacit. 1. Annal.

Sueton. in vir.
Claud.

Scalig. & Gruter.
in op. Inscript.

non deceat. Nam ut *improborum nomen putridum*,
& *iniqua progeniei diros exitus* esse voluit, iustissi-
mus rerum Arbiter, Deus: ita ex aduerso divinitus
inspiratâ, perq; Salomonem editâ voce, sanxit,
quasi jus perpetuum: ut *memoria iustorum* foret *bene-*
dicta: iidemq; *tangquâ rami efflorescerent*. Erat propè
idem inter solemnia vota Romanorum; quod ob-
servamus: cum legionibus Quintill Vari, ab Armi-
nio occisis, post sex annos demum parentavit, ju-
xtâ & cenotaphium statuit Germanicus; *primumq;*
exstruendo tumulo cespitem Caesar posuit; *gratissi-*
mo munere in defunctos, & *prasentibus doloris socius*.
Etiam illud est à vero minimè alienum: Parentatio-
nes non eo tantum consuevisse tempore absolvi u-
niversim; quo dormitorio suo condebatur mortu-
us; sed annis quoq; sequentibus repetitas fuisse; eâ
cū primis die, quæ olim emortalis sito exstiterat.
Literis proditum memoriæq; fuit: *Druso excitatum*
honorariū ab exercitu cenotaphium; *circa quod deinceps*
stato die quotannis miles decurreret: *Galliarum verò et*
iam civitates supplicarent. Nec absona est memoria,
quæ in veteri apud Ravennates lapide:

O B. MEMORIAM. PATRIS. SVI. DEC.
VII. COLLEGII. FABR. M. R. HS. ☞
N. LIBERALITATE. DONAVIT. SVB.
HAC. CONDITIONE. VT. QUOTANNIS.
ROSAS. AD. MONVMENTVM. EJVS.
DEFERANT. ET. IBI. EPVLENTVR.
DUN.

DVNTAXAT. IN. V. IDVS. IVLIA S.
QVOD. SI. NEGLEXERINT. TVNC. AD. VIII.
EJVSDEM. COLLEGII. PERTINERE.
DEBEBIT. CONDITIONE. SVPERSCRIPTA.

Quamquam haud opinor necesse, apud Te, MA-
TRONARVM NOBILISSIMA, tarditatem
excusare huius mei muneris: quia omnis dies Tibi
est pro emortuali Beati Tui Conjugis: quem, pro-
cul dubio non desinis quavis


Tum veniente die, tum decedente vocare.

Ea est tenacitas amoris conjugalis: ut eodem tumu-
lo, cum corpore, obrui nequeat. Ac ne Tu quidem
à me ullam exiges deprecantiunculam, MEZRA-
DI MAGNIFICE; qui domi Tuæ nosti: unde profe-
ctum sit; cur hoc opusculum, quod movimus, tardi-
dius promovimus. Superest, ut Vos utrinq; ro-
gem: CENOTAPHIUM hoc meum, quod ve-
stro olim Marito, quod Fratri posui, benignè pro-
que virtutum vestrarum amplissimis ornamentis,
excipiat: si nō mei causâ, aut nitoris Oratorii, qui
ab eloquio minùs explendescit: saltem propter Il-
lum, in cuius nomine, iustis laudibus vehendo,
omnis nostra oratio absumitur. Facietis hoc,
sat scio. Olim lucerna Epicteti mille drachmis
vendebatur: Protei Stoici baculus talento:
adeò magnorum atq; illustrium Virorum, quæ exi-
lia fuerint, in pretio habebantur: nedum ea ma-
gni à nobis fiant; quæ cum Virtute conjuncta,
vicissim ad Virtutem eos trahunt; quorum est

inc o-

—*Incoctum generoso pectus honesto.*

Ita fané de Vobis , quod in manifesta luce pos-
tum , sentio , proloquor , semperq; contestabor.
Sic vos Deus bene valentes , diu florentes servet.
Bethan m. April. an. CIO. IO. CXX.



INVITATIO PRÆMISSA,
AD CONCILIANDAM PANEGYRIN.

Nil juvat excelsi moles operosa palati: (luna:
Nî teneant valida subnixum opus omne co-
Quasi fortè ruant; vasto impete labitur ades.

Nec stabilem fas est Regnis sperare salutem:
Nî partem subeant oneris , quæ pectora Titan
De meliore luto finxit; qui candida promant
Consilia, & firment crepero in discrimine Regna.

Hæc si Semideis proba fulcimenta Dynastis
Eripit, è studio Virtutis, flebile fatum;
Nescio quod scævum mens potinus augurat omen.

Tales heu Patres Patria quot nuperus annus
Abripuit? fatum quot funere merfit acerbo?
Ipsum & MEZRADIUM letheis intulit umbris
Invida mors; quem Lusatia regale tribunal tum
PRÆFECTUM fovit; quem clarat origo Paren
Nobilis, & , quæ nobilitat magè, propria Virtus.

Utraque quæta Viri fuerit, mea Musa docebit;
Cras ubi de cælis octava illuxerit hora.

Vos, quibus exëplū Virtutis amabile cordi est,
Et Charitū spirant Zephyri, quibus entheas flama,
Accipite exili manantia sumine verba.

Res pia, justa piis exolvere dona sepultis.

Si quid habet (ut habet) verū Salomoniam scita:
Præstat inire domum, tristi quæ squallida luctu,
Quam quæ letifico protollit júbila cantu.

QUÆRIS, VIATOR,
QUIS HOC SINU MATRIS TERRÆ FOVEATUR?

DICAM VERBO:
INVIDEND. NOBILITAT. EXEMPL.

CASPAR MEZRADIUS,

IN MALSCHITZ ET DOBERSCHITZ,

II. AUGUSTISS. CAESARUM ET
REGUM UNGAR. AC BOHEM.
CONSILIAR.

MARCHIONAT. LUSAT. SUPER. PRÆFECT.
QUI PROGRESSUS PER LABORIS STADIA,
PER SAPIENT. ET VIRTUTIS STUDIA,
AD AUGUST. HONOR. TEMPLUM:

IN EO STETIT PARI PIETATE, FIDE, SPE,
FORTITUDINE, PRUDENTIA, COMI-
TATE, CANDORE, MODESTIA:

NUNC IN ECCLES. TRIUMPHANTE
INANITATES NOSTRAS DESPICIT.
MONUM. HOC. GRAT. HAER. POS. L. M. Q.

4555, 19
1618 156
NASC. AN. CHR. CIO. IOLV. D. XIX. SEPT.

Ø. D. XV. JUNI. ANN. CIO. IO CXIIX.

Non nisi certanti cœlo est speranda Corona.

CASPARIS DORNAVI
TOGATA NOBI-
LITAS.



Bt Germaniæ
veteris non ea fuit ma-
jestas; quâ se hodie præ
aliis locis undiquaque
effert: nec prisca illi in-
colæ cum nostris paria
facere, humanitate, artibus & scientiâ pos-
sunt: nequeo tamen, quin existimem: fuisse
institutum istud plenum justitiæ, plenum
pietatis: cum clarissimorum hominum lau-
des carminibus complecteretur & hymnis;
quos in solemnibus epulis, decenti ritu
concinebant. Si enim *Et Virtuti suum debe-
tur honestamentum; Et ad posteros scientia ali-
qua transmittenda est rerum præteritarum:*
equidem non video; quid præclarius esse
potuerit, juxta & facilius: quàm, in con-
vivis, animos hilares atq. arreptos, letitiâ vete-
ris memoria perfundere; adolescentes cum primis,
B illustrum

Cornel. Tacitus.

CASPARIS DORNAVI

illustrium facinorum gloriâ, ad res fortiter gerendas excitare. Quam prudentiæ laudem & cōsuetudinem majores nostri communem habuerunt, cum sapientissimis Rebuspublicis & gentibus; Romanis & Atheniensibus; imò Græciâ propè universâ. Nisi fortè aliquid discriminis putemus annotandum: quòd Germani laudabant Heroas suos Patresq; in conviviiis quibuscunq; lætitiæ causâ, & consilii, & commercii apparatus: Græci verò in parentalibus potissimum epulis, omnium clarorum, jam vitâ functorum, nomina ciebant: apud Romanos in cœna item funerali, quam iuibant propinqui coronati, de laude mortui, cum quid verum in promptu habebant, prædicatum fuit. Erit ergo nobis quoque honorificum: si non inter opiparas lautiarum dapes; saltem in consessu celebri, & oratione ejusmodi, quam posteri legant, id agere: ut defunctorum virtutes ab injuria oblivionis vindicasse videamur. Faciamus ergo hæc iusta Viro, de Repub. & Patria, de virtutis Regno amplissimo,

ben

Artemidor. lib. 1.
ὁνειρον γιν. c. 5.
Cicer. 2. d. legib.

TOGATA NOBILITAS.

bene merito, CASPARI MEZRADIO: quæ, superiori anno Magnæ Matri Terræ, Fratres & Propinqui inter gemitus & lachrymas reddiderunt. Equidem hanc officii extremi partem cuivis potius, quàm mihi vellem commissam, qui scio; quàm proclive sit, oratione aut frigidâ, aut horridâ, qualis nostra nonnullis judicetur, Viri Magni laudes deterere. Quoniam verò itum ad me fuit; & hæc Parentatio Posthuma, non meâ quadam libidine, sed rogatu, an jussu, injuncta mihi fuit ejus; quem ipse *ὁ παλαιός* in tabulis testamenti Hæredem ex asse nominavit: nemo, confido, sequiori mente accipiet: inornatum me verbis, quâ impium esse adfectu in demortuum maluisse. Quod dum facio, Auditores; moreq; meo, per nobilissima vitæ MEZRADIÆ spatia me dedo: dabitis mihi hanc veniam; ut, in hoc argumento, genere dicendi utar simplici. Quod si vos benevolentiæ Vestræ & attentiōis, quâ invoco, excipietis aurib. quasi placido sinu: obtinebit oratio nostra ornatus

CASPARIS DORNAVI

an. 112. 13 L. F.

plurimū gratiā verò hau l minorē. Exsurgat ergo ex hoc tempore, provehaturq; sermo noster: quo Carolus Imperator in Phil: pum Filium transtulit Belgarum imperium; ipse discessum molitus ex Germania; decreto prius promulgato, pro asserenda Confessione Augustana. Illo enim anno, naturā ipsā obstetricante, editus est nobis MEZRADIUS; non absq; provida Dei cura. Quippe tum nati sunt ij, quorum non modò doctrinam admiratus semper amplexusque virtutes; HERMANNUS VULTEJUS, Jurisconsultorum Germaniæ facilè Princeps; & huic proximus JOHANNES GODDÆUS; ELIAS item REUSNERUS, Historiarū Doctor scientissimus: sed quorum insuper amicitiiis, dum per vitam licuit, usus fuit; cū NICOLAI RHEDIGERI, genere & virtute nobilis, cui JC.^{us} elegantissimus NICOLAUS HENELIUS dudum parentavit: tum MELCHIORIS REDERII L. Baronis perillustris; de cujus immortalī gloria nulla ætas cōtiescet.

Ac

TOGATA NOBILITAS

Ac MEZRADIUM fausto sidere dies edidit Septembris xix; in avito pago, vetustoque prædio: quod ut situ, ita nomine est vicinū urbi BUDISSINENSI, quam Sorabi olim, an Ptolomæo Serbi, Sarmatarum gentes posteræ, exstruxerunt; Bohemi vetustate squallentem, Sobieslao dominante, renovarunt. Felix locus; tam egregio hospite honoratus! ita quippe *Vir locum, non locus, Virum nobilitat.* Felix etiam præclaro partu Nobilissima Mater! Quanquam ipse potiùs Filius in magna felicitatis parte numerabat: genitum se fuisse ex CATHARINA KOPPERICIA, domus Salandina; hoc est, Matrona ejusmodi; quæ & familiā gavisa fuit ornatissimā: & ipsa ex se Virtutum auctario dignitatem gentis, quantum quidem in hunc sexum cadere potest, ampliavit. *Ita consueverunt illustres animæ: nobilitatem, si nondum constituta, virtute pariunt: Si hereditario accepta patrimonio, virtute conservant; sine hac, instar deciduæ stellæ, perituram.* Erat eadē & indole

pagus Budissin

Dubrav. & ex eo
Manl. l. 3. Lusat.

B 3

&

CASPARIS DORNAVI

& confirmati animi mente Pater CASPARIS, ABRAHAMUS MEZRADIUS; Equestris itē dignitatis, ex Lusatis haud postremus; vitæ probitate, sanctimoniâ morum, & quæ hunc ordinem decent, ornamentis, nulli postponendus. Ac quoniam

Placet in Amphitr.

Virtute ambire oportet, non favitoribus:

Sat habet favitorum semper, qui rectè facit:

convertit ille in se promptissimè & oculos plurimorum, & studia: ut inter Lusatiæ Primores allegeretur: diœcesis postea BUDISSINENSIS Præfectus, autoritate principali dictus. Provinciam istam, quâ par erat fide, industriâ haud dispari gerebat: poteratq; adeò sanctas semper manus ad cœlum tollere; pudendâ visus

Horat in Ep:

—nullâ pallefcere culpâ

Fuit eadem gloriâ insignitus, præconio secuturæ ætatis haud indignus, CASPAR MEZRADIUS, ABRAHAMI FRATER, Nostri Patruus, quem Cæsares Augustissimi, Reges Serenissimi, Ferdinandus & Maximilianus præcipuâ dignatione habuerunt: Arci Pirglicensi

TOGATA NOBILITAS

glicensi & Sylvæ Regiæ Præfectū in Bohemia designarunt; *magno ad Virtutē incitamento: cū aut præmia ingeniis sunt proposita; aut præmiorū symbola, bonos.* Possem referre orationem ad MEZRADIÆ gentis quasi quendā Primicerium; eum, qui Mareschalli munus sanè illustre, cum accessione laudis sustinuit in aula Illustrissimorum tum FRIDERICI, tum GEORGI, Ducum Bregensium, avi proaviq; præclarissimi eorum, quos & Lygium & Bregensem, imò ordinis sui propè universi Principatum obtinere cernimus; utq; diutissime floreat, comprecamur. Ab hoc MEZRADIO ducunt familiam Gentiles illi, qui in superiori Silesia, locis non unis, latifundia possident; non sine nominis sui estimatione gloriosa. Possem dictione meâ honorariâ è sepulchro quasi inter vivos locare HENRICUM MEZRADIUM; celeberrimum olim Pocillatorem ULADISLAI, Ungarorum & Bohemorum Regis. Hujus meritis imputandum à Gentilibus: quòd non modò superiorem Jurisdictionem contra

CASPARIS DORNAVI

Germ. Kendges
felle.

Germ. Hoffrich
ter.

Ab anno 619. us-
que ad an. 619. 12
Lx.

Circa an. 619. ccl
xx. lx &
619. cccclxxix.

contra facinorosos exercendam impetra-
runt à benignissimo Principe : sed census
insuper immunitatem; quem & ipse, & ma-
jores ejus quotannis in arceregia solvere te-
nebantur. Egregiam, *dixerim propè regiam*
laudem: familiam ab oneribus vindicare, privile-
giis cohonestare! Possem nominare quinq;
ex MEZRADIIS; qui, annorum spacio sexa-
ginta circiter, Prætorum omnes tribunalia,
distinctis temporum vicibus, in Dicafterio
Regio superioris Lusatiae conscenderunt di-
gni, occuparunt judices æquissimi: *Virumq;*
docere Magistratum, documentis minimè as-
spernandis ex sese ostenderunt. Possem pari-
jure in publicum producere ex eadem fami-
lia, par nobile virorū: qui fermè uno eodēq;
tempore, locis diversis, Præfecturas ad-
ministrarunt, jam excurrunt quadraginta
ultra centū anni: alter in Budissinensi Mar-
chionatu; alter in Ducatu Gorlicensi: uter-
que suo loco justitiam tutatus & innocenti-
am. Possem vehere laudibus ex Mezradiis
sub

TOGATA NOBILITAS.

sub clarissimis Regibus, MATTHIA HUNNI-
ADE, ULADISLAO item & LUDOVICO, non
dubitarunt, pro salute Patriæ objicere ho-
stibus mascula sua pectora. Possem dictione
meâ exornare item alios; qui in Ungaria &
Polonia strenuè profligarunt immanes ho-
stes: illic Turcas, hic Scythas: utrosque in
perniciem Christiani nominis juratos,
animatos, armatos. Possem deniq; propo-
nere posteris imitandos Mezradios: qui in
Gallia, in Belgio, in Germania diversis tem-
porum articulis non modò stipendia fece-
runt; triarii fortes atque prudentes: sed par-
tim ipsi, partim prædicti Gentiles sui mu-
nia quoque militaria & honores gesserunt
præcipuos; cum æterno famæ suæ, & po-
sterorum auctoramento; addo etiam bono
Principum atque Reipublicæ. Hujus enim
interest, & conservari familias splendidas; &
clavum gubernare eos, qui ex laudabili proge-
nie orti, in laude ipsi vivunt: debetquè adeò
valere apud nos illustrium hominum senex de
Reipublica meritorum memoria, etiā mortuorum.

Cicer. pro Sestio.

C mini

CASPARIS DORNAVI

Sueton. in vit. cap.
12.

minimeque imitandus Cæsar Vitellius ;
qui, magnam Imperii partem non nisi con-
silio & arbitrio vilissimi cujusque his-
trionum & aurigarum administrabat.
Possem hæc omnia diducere fusiùs ex an-
nalibus Mezradiis : nisi me præsens officii
ratio commoneret : uni & unico CA-
SPARI MEZRADIO parentatum me ire,
non familiæ. Quanquam istud nequeo,
quin verbo dicam : censeri illam origi-
nis vetustissimæ : utque rem tangam pro-
piùs ; in numerato esse minimum qua-
dringentos annos : ex quo Gens ista, ne-
quid dicam de Provinciis aliis, in Lusatia
superiori domicilia habuit. Explora-
tæ enim fidei res est : in monasterio Bu-
dissinensi, quod flamma jam diu deper-
didit, adpicta extitisse insignia gentili-
tia MEZRADIORUM ; sed & annum
adnotatum ; qui fuit quartus & vicesi-
mus ultra ducentesimum atque millesi-
mum. Indiciu certè haud obscurum ;
quo

TOGATA NOBILITAS.

quo familiæ hujus vetustas in Hexapoli
elucescit : ni malimus dicere, conje-
cturâ equidem piâ & modestâ : eosdem
MEZRADIO S monasterii illius atque
Collegii sacri, cum quibusdam aliis ex
Nobilitate Lusatica, Fundatores existi-
tisse. Fuerunt enim illi jam tum proni in
cultum sacrum ; munes ad dotandam,
ad promovendam Ecclesiam ; religionis
observantes : quæ licet nugamentis su-
perstitiosis coinquinata fuerit, tempe-
state illâ seculi : *minimè tamen nos finit ef-
se immemores Charitatis, quæ sperat omnia :
nosquè certiores esse jubet ; etiam exiguam
fidem, fidem habendam salutarem : nec li-
num fumigans à DEO exstingui : nec sub
cinere latentes favillas ignem esse desinere.*
MEZRADII inquam, pro zelo suo reli-
gioso, templum è fundamento exci-
tarunt MILLIKALENSE ; jam tre-
centi dudum anni sunt elapsi : VI-
STENSE verò sacellum, ante quatuor

м. 110 ессхн.
Kal. Junij.

&

CASPARIS DORNAVI

& quinquaginta supra centum annorum
excursum: ut diplomata varia, VVitogonis
Episcopi Misnensis, & Canonorum Bu-
dissinensium, alia item, & Rudolphi, Lo-
vandinensis, & Raphaelis Ostiensis & Jo-
annis Misnensis Episcoporum, visa nobis,
fidem luculenter adstruunt. Nec nisi laudi
vertatur eidem Genti: reapse palàm factum:
fuisse ex illius majoribus, qui sacris initiati,
curam ipsi gesserunt Ecclesiarum; quas
Gentiles multis retrò annis divino cultui
consecrârunt. Reputabunt etiam haud in-
dignum monumentum loco suo, turrim
Coenobi, Numburgi Silesiorum ad fluen-
ta QUISSI exstantem; quam Matrona insi-
gnis, MEZRADIA, Monialium illius loci
Princeps atque Abbatissa, posteritati reli-
quit; nomine suo præscripto, quod lecto-
ri volenti obvium. Illud ergo in causa ma-
neat, quod nec ipsa ævi caries oblitteravit:
non jam ab annorum, sed seculorum pro-
cursu MEZRADIOS, jure suo, ex priscis mo-
numentis, avos atavosque repetere, in-
venire

TOGATA NOBILITAS

venire, demonstrare. Non ausim me infer-
re in remotiores temporum annales, vesti-
gareque originem hujus gentis: quoniam
*seculis illis, plusculum barbaricis, aut negligentes
fuerunt nostri majores monumenta consignandi
Gentilitia; aut, si quæ mandarunt literis, eadem
vis temporum, inter tot bella, incendia, migratio-
nes vicissim absorpsit.* Absque hoc foret: sta-
tuerem MEZRADIOS, quorum nomen ori-
ginis est, non Vandalicæ, aut Slavonicæ,
aut Henetæ, sed Germanorum, ex Germa-
nia in Lusatia hanc provinciâ commigra-
se. Idque adeò in re, haud absimili vero, ju-
dicarem factum, ante annos septingentos,
Imperatore Henrico primo, Duce Saxonû,
dicto Aucupe; Slavicornum Principum fu-
rorem & latrocinia victricibus armis cohi-
bente; Marchiæ Lusatia Viros præficiente,
ex nobilitate Germanica excellentes. Quid-
quid fuerit: si exquirenda videatur res alti-
us; replicari potest memoria hujus familiæ,
sanè quàm veneranda, ex Batavia monu-
mentis: in qua vetustæ operæ arcem,

Circa an. Dccc
xxvii.

CASPARIS DORNAVI

Nicol. Reusner. cl.
3. Symb. 40.
Stoba. ferm. 84.

MEZRADIAE nomine nuncupatum; ab Equitibus cognominibus, à multo annorum lapsu habitam esse accepimus. Sive enim ex Batavis ad Lusatos, sive ex his ad illos sese transtulerint; ut *familia, perinde atq; dominia, sunt ambulatoria*, non est fori nostri subtiliùs disputare. Redeo quippe mecum in memoriam: scitè fuisse à Ferdinando, Cæsare Austriaco, dictum: *Boni viri, boniq; vini originem non esse curiosè exquirendam.* Quod multis ante ipsum seculis enuntiati, à Socrate, haud alienà mente ferunt; cum suaderet: *Neg. frumentum optimum judicandum; quod in pulcherrimo agro natum est: sed quod commodè nutrit: neg. Virum egregium, & amicum benevolum, qui genere: sed qui fuerit nobilis moribus.* Nos verò, qui perfectam nobilitatem metimur ex claro genere, & virtute, quam quisq; sibi propriam faciat; missis iis, quæ in honorem gentis MEZRADIAE omitti non debebant, ad ea nunc festinamus oratione, quæ Beati CASPARIS memoriæ propiùs conveniunt. Equidem is ab extrema infantiâ, *ut aliquando frugi fieret,*

TOGATA NOBILITAS

fieret, sementim facere maturè didicit; perceptis Parentum operâ, primis Christianismi fundamentis; factò quoque paulatim accessu ad Virtutis doctrinæque regiam; sed viâ longè clementissimâ. Etenim ingenium pueri, ne antè frangeretur, quàm per vireculas ferre labores posset; decimo demum ætatis anno nactus est Præceptorem, Virum Ornatissimum, ANDREAM VVESTPHALUM, Islebiensem, Lutheri Civem; fatis functum, non multò ante Discipuli mortem, Præfecti Gorlicensis Silentiarium. Hic prospiciens, lignum se accepisse tractabile, ex quo Mercurius fingeretur bellissimus; nihil prætermisit, quod in Pædagogum, & doctum, & amabilem, & facilem, & prudentem, & fidum, & industrium cadere unquam potuit. Præstabat has operas Pucro VVESTPHALUS, tum domi, primo anno, tum LOBAVIAE, urbe antiquâ, Hexapoleos unâ, Ephorus privatus; MEZRADIO frequentante Ludum literarium, à MARTINO FERBERO, haud infelici successu gubernatum. Succedebat huic

AN. CIO. 15 LXV

LA-

CASPARIS DORNAVI

LAZARUS SHERDINGERUS, LAUBA
evocatus; homo, si doctrinam requiras, ele-
gans; si fidem, diligentia indefessa; si au-
thoritatem, gravis: amantissimus, addo et-
iam tenacissimus disciplinæ. Magnum pro-
fecto boni Institutoris eulogium! quo
destituti Mutii illi langvidi Lentulique,
*conniventes, non in vitia tantum discuntium,
sed vitiorum quoque portenta; quid aliud agunt:
nisi ut lentam crudelitatem, & tepidam tyrannidem in juvenutem improvidam exercent?*
Tam celebris Viri fama, quæ, quasi alis sub-
vecta, longè lateque emergebat, hinc in-
de alticiebatur coetus Nobilis: in quo, vix
dum triennio exacto, ita librabat ingenii
vires MEZRADIUS: ut ex commilitio scho-
lastico pauci numerarentur; qui cum illo
de palmæ Linguae Latinæ in arena conten-
dere ausi fuerint. Invasit verò Lobaviam
*contagio pestilens; quæ scholarum quasi quadam
furia dissipans.* Abit SHERDINGERUS LIS-
SAM: cum eo MEZRADIUS: secutus, ut so-
lè plantam, quam heliotropium dicimus.

Quan-

TOGATA NOBILITAS.

Quamquã verò lues sequenti anno de mali-
tia sua remiserat; LOBAVIAM reversis post-
liminò Musis: diu tamen salus illa non fuit
Itataria; incendio illic post elapsum annum
conflagrante urbe: inque ea monasterio in-
cineres exusto, quo *scholæ* habebantur: quã
*hæc olim domicilia, non ad saginandos in-
ertium hominum ventres, condi religiosa anti-
quitas voluit.* Redeundum fuit MEZRADIO
domum, etsi invito: ibique, Ipso Patre, Vi-
ro erudito, exactore pensi & horarum, pri-
vatis operari Musis non desit: dum reædi-
ficatã utcunque LOBAVIA, ad pristina Pal-
ladis castra liceret reverti; & stipendii quod
reliquum erat, conficere. *Prudens institu-
tum, haurire ex uno eodemque fonte, non permu-
tato loco, scientiarum primitias!* Delectet va-
rietas ex pueris, quem velit: *turbat, sat scio
crebra variatio: nec volutatus subinde, lapis mu-
sco obducipoteest:* nec ipsæ Musæ vagantur: sed
in uno Parnasso, non quovis Græciæ loco,
singuntur considerare. Jamq; MEZRADIUS,
cùm SHERDINGERUS Ecclesiastæ perso-

D

nam

CASPARIS DORNAVI

nam suscepisset; MARTINO BORECCIO
Vratislaviensi usus, Rectore Lobaviensis
Scholæ, ita audiebat Candidatus liberalium
artium: ut præcepta bene differendi dicen-
di que nosset accuratè: scriberet quoque ad
munditiè usq; , non prorsò tantùm sermo-
nis genere; sed illo etiam vorso ac pedestri,
fluido satis atq; puro. Nimirum in ruborem
dare voluit Nobiles eos; qui ita se literis ad-
diderunt: ut *versum aliquè concinnare, existi-*
ment esse infra Ordinis sui dignitatem: exacturi
Poetas è Republica; si per illos staret: quod
Platonem arbitratum legimus. Noster ve-
rò, de quo hic nobis sermo universus, tam
liberali instructus viatico, ad sublimiora, fe-
veriora que studia, petasum tandem pre-
hendit; primam è patria exscensionem ad-
ornat. Fit comes ei Frater Christophorus;
postea in Collegium Canoniorum, quod
amplissimis redditibus gaudet Magdæbur-
gi, cooptatus: cujus fidem pari stabilitam
industriâ, cum probassent collegæ; unani-
mi consensu Virum cordatum literatumq;
Decani

Plato lib. 3. & 10.
de Repub.

TOGATA NOBILITAS.

Decani honoribus, quibus & functus an-
nos aliquam-multos, adfecerunt. Confe-
runt se ambo in Academiam, quæ VVite-
bergæ ad Albim, ante annos octodecim
supra centum, aperta à Friderico Saxoniae
Electore fuit: non quasi illic permanfuri
tum tēporis; aut tentoria Musis suis fixuri:
sed ritu Academico, Germanis solemni ma-
ximè, deposituri cornua. Nolebat MEZRA-
DIUS *in communi conditione deponere sibi pecu-*
liarè: qui, opinor, hanc DEPOSITIONIS
ceremoniam reputabat ex prisca Athenien-
sium Academia, ad mores nostros traducta:
& quo tempore Basilii Magni vixit, qui
unus effugisse hanc disciplinam à Gregorio
Nazianzeno dicitur, frequentatâ fuisse. Hoc
finito actu, quem ipse quoq; Lutherus, ser-
mone haud inficeto comprobavit; MEZ-
RADIUS illinc adire cogitabat Gymnasiū
aliquod: tantum sibi, præ modestia, non ar-
rogans: ut inter Professores VVitenber-
genses, loco augusto persistere ausit. Com-
modum verò incidit in par eximium Viro-
rum, CASPAREM PEUCERUM,

an. cl. D LXXIII.

Joan. Dinkel, in
orat. de deposit.

CASPARIS DORNAVI

Budissinensem, Virum VVitebergensis
Academiae facile Principem, Civem suum;
& ESROMUM RUDINGERUM, Papæber-
gensensem, literis Theologicis ac Philosophiæ
abditis clarissimum. Hi Parentem MEZRA-
DI epistolis suis exhortantur ambo: Filium
Casparem, redeuntem quidem in Patriam,
remitteret in illustre Lycæum, VVitebergam:
*minimè fas esse; tam capax ingenium, vividum,
sciendi cupidum, in schola minorum gentium de-
tineri amplius, & quodammodò obsordescere.
Homini Nobili non convenire; atatem terere,
in Grammaticorum, aut Rhetorum, aut Logico-
rum prolixis, & aculeatis, sed aridis quæstiu-
culis: Alia esse, quæ Reipublicæ donandos,
inquè luce publica evehendus deceant: hos
vitæ, non scholæ formandos esse.* AC CASPAREM
ita ingressum esse literarum stadium: ut id-
oneus sit, planeque dignus; cui patefiat u-
niversus ille variæ doctrinæ campus: in quo
vires ingenii facilimi periclitetur. Obsecu-
tus est Pater consilio Hominum Optimo-
rum: Filiumque adeò, ne commodis ejus
obstistere videretur, jam annos natum octo-
decim,

Ser. 11.

an. 113. 12 LXXIII.

TOGATA NOBILITAS

decim, remittit VVITEBERGAM; quasi
ad Emporium divinæ humanæque sapienitiæ.
Magna molientibus non desunt crebra obstacula.
Annum quippe exigere illic non potuit:
cùm insigni deliquio Academia laboraret;
& convulsis quasi distractisque primoribus
columnis, dissiparetur: in custodiam abdu-
ctis Viris præclaris; aliis exulare jussis: CA-
SPARE PEUCERO in carcerem detruso;
quem dimisit tandem Elector, duodecim
elapsis annis; intercessione Filiae JOACHIMI
ERNESTI Principis Anhaltini, qua cum
AUGUSTUS, puellâ, tredecim annorum,
secundas nuptias, ipse sexagenarius celebra-
bat. Fatali huic Tempestati, sed & iudicio
voluntati que Patris, MEZRADIUS ob-
secundandum ratus, tantisper se subducit:
in Patria septimestre cum mortuis interim
Præceptoribus, bonos libros intelligo, con-
versatur. Collectâ rursus Academiâ,
quantum pote, quasi postliminiò resalu-
tat VVitebergam: in qua biennium, & quod
excurrebat, impendit gravissimis studiis

an. 113. 12 LXXXVI.

an. 113. 12 LXXXV.

CASPARIS DORNAVI

& Jurisprudentiæ; temperatis cum mitioribus illis Historiarum: sed substructo quasi fundamento ex Sacrosanctis Bibliis: ad quæ referebat doctrinā Melanchthoninā; cuius totā vitā, si quisquā, sine acerbitate propugnator fuit. Reliquæ illic vitæ si quis rationes exigat; dictum putet, quasi ex Sibyllæ folio: non visum eum, nec numeratū fuisse in eorum furfure atq; confluge; qui pro auditoriis gurgustia quærunt; pro disputationum pulpitis, popinas & lupanaria; pro colloquiis Doctorū, Cyclopum officinas; qui nō modò prætereuntes excipiunt ronchis, aut poppysmis, sed cōviciis, sed criminibus, sed myriadum sacramentorum evomitio-
ne; sed lapidibus, sed sicis, gladiis, fustibus; in domos, in parietes, in fenestras, in platearum strata saxea, cū non licet in hominē, ignobili servitiā debacchantes. MEZRADIUS, sine Medea quærebat vellus aureum; inveniebat: *voluptatibus, blandis Dominis*, institutu atq; auxilio cœlestis Numinis sese abstinēbat. Ex quo tantò uberiores fecit progressus

TOGATA NOBILITAS.

gressus in hac Palæstra Bonæ Mentis: quanto est certius: *aberrare à templo utroq, Virtutis & Honoris; quicunque ad viam Voluptatis, Prodiol bivio, facto diverticulo, deerraverit.* Volupe fuisset CASPARI, diutiùs haurire Sapiētū oracula inter subsellia VVitebergensia. Sed morigerandum erat Patri, domum revocanti: cū is Conjugem suavissimam, CASPARIS matrem, è vivis egres-
sam amisisset. Quæ res ei fraudi minimè fuit; *Juveni, non tam ampliùs præceptis, sed vitæ quoque experimentis ad civilem societatem, & aliquē usum ad familiaritatem cum Magistratibus conformandi.* Fecit hoc Pater, maturrimi judicii homo: cui in rebus humanis, & politica administratione,

Per varios casus artem experientia fecit.

Hic quasi triennl procursu transfundebat in Filiū; quæ ipse & impendio ætatis, & periculo vario didicerat. Cū Filio communicabat rerū gerendarū consilia; ostendebat agēdi modos ex re nata; exponebat causas, progressus; eventū referebat ad principiū;
jube-

Manil.

AN. CIO. 19 LXXIX.

lib. 1.

jubebat ipsum quoque tractare nonnunquam causas, viresque periclitari: ut Aquilæ pullos suos indurare aciem oculorum, adversus solem consuefaciunt. Prodeundum erat CASPARI in Illustrium Virorum conspectum atque alloquia; cum primis PRAGAE, in Comitibus unitarum Regionum, Bohemiae sociarum: quæ aula, verè Augusta, præclarissimos dedit Viros, in omnes terrarum Orbis partes, ac memoriam sempiternam. Quo in loco non inficiandum, quod res est: nihil inter votiva MEZRADI æquè fuisse charum: quàm Germaniâ tantisper valere iussâ, excurrere ad Italos, Gallos, Anglos, loca externa alia: è quibus, cum Ulyssæ πολυτρόπῳ in Patriam ornamenta scientiæ variæ reportasset. Ita est, Auditores: fluctuamus inter luctantia vota: sed rerum omnium Dispensator Deus, non ex prolubio nostro, sed suo, cuius mortalium carceres sui curriculi, quos transilire nequit; præsignavit ante mundi prima fundamenta. Obstabat etiam ingenio, sissimo MEZRADIO potentissima Dea, quam

quam ex Græcis quispiam appellabat, Inopia: quæ, ut neminem facit meliorem; ita de existimatione cuiusquæ ne hilum detrabere valet. Erat Patri Optimo noxiosa sua ipsius beneficentia & benignitas: quemadmodum nemo decipulam facilius prehenditur: quàm qui liberalis esse in alios, munisq; volet. Sponde; noxa præsto est: ait apud Platonem Socrates: nisi Chilonis verba, & Delphis cōsecrata aureis literis fuisse potiùs existimemus. Quorsum enim dissimulabimus? Nisi MEZRADI Pater fidejussorem se ab Amicis passus fuisset exorari: nisi item debitores conflatum æs alienum illi reliquissent diluendum: & CASPARI ad peregrinationem viaticum; & proli cæteræ patrimoniū opinus haudquaquam defuisset. Sua ipsius ergo necessitas, consiliorum inventrix, pro Duce fuit: &

Plin. lib. 7 cap. 22.

Heliodor. lib. 7. Æthiop.

Manil lib. 1. Astr.

Ad vigilare sibi iussit fortuna premendo. Sic ergo animum inducebat suum: cum in amplexu Patrio prospiceret, fieri non posse, ut rerum utilium iusta caperet ac sufficientia incrementa:

E

CASPARIS DORNAVI

crementa: è re fore, versari saltem in aliena familia, loco illustriori. Consequi hoc illi erat minimè difficile: siquidem

P' aut.

Proba merx facile emptorem invenit; etiam, in abstruso sita:

nedum homo eruditus, natalium & virtutis honore, & modestiæ, fideique ornatu commendatus. Adscivit MEZRADIUM JOANNES L. BARO SCHLEINICIUS, Cæsaris, Maximiliano & Rudolpho à consiliis, Promarchio Lusatiae. Dubium in hac provincia vilum: magisne delectaretur SCHLEINICIUS industriâ & dexteritate Familiaris sui: an Hic calidiori ferveret cupiditate, sibi commissa expediundi. Sua enim referre putabat; in tam læta lataque sementi rerum maximarum, in regali non tam Magnatum, quàm Regum Aulâ, quæ Pragæ eminebat ad invidiam usque, prudentiæ messem capere. *Hac proxima est semita, ad famam æternaturam; discere in umbra, quæ oportet; quæ didicisti, agendo in luce confirmare*

Seneca Epist. 95.

TOGATA NOBILITAS.

confirmare. Quod qui juxta habere velit, etsi literis tinctus,

*Vab, nunquid fingi pote portentosus illo;
Qui Sophos in triviis inflato mugit ab ore;
Rebus at in mediis stupet, ac velut inscius
haret.*

Arben, lib. 13.

Postquam his exercitiis ultra quadriennium fuerat immoratus MEZRADIUS: ut par est, non fugitivo passu tabernam unguentariam transire, qui odorem trahere satagit: Patriæ se, quantus quantus erat, impendendum statuit. *Facile erat, volentem ex pietate adducere.* Adduxit Magnus Eques, ERNESTUS RECHENBERGIUS, Cæsaris Consiliarius, Marchiæ Lusatiae Præfectus. Hujus auspiciis atque autoritate ex Aula redux, *o puer æque noster,* judicii Reii adfessor designatus fuit; Collegatum BALTHASARE BRETTINO, Jureconsulto, Cancellario amplissimo. Nolite existimare, Auditores; quidquam illum in hoc munere, quo functus est decennium, ad gloriam destituisse. Testantur

612. B LXXXIII.

CASPARIS DORNAVI

Lib. 7. Polit. c. 16.

ann. c. 13. 1541.
d. xxii. Septemb.

Bartholom von
Lauterbach
auf Gerßdorff
und Lautens-
thal.

Tabulæ, ab ipso in causis gravissimis elaboratæ; quæ in curia servantur: quanta illi fuerit in audiendo pronitas, in consulendo maturitas, æquitas in iudicando, labor in agendo, in perficiendo felicitas. Inter has negociosas Provinciæ, addo etiam invidiosas molestias, attrigerat annum; quo matrimonium nos contrahere Aristoteles præcipit, sextum ultra tricesimum; *quo vires maximè sunt robustæ: nec metuendum, ut homulli ab homullis generentur.* Urgebat pater cum primis nuptias: visumq; est dignum utrinq; conjugium, quo MEZRADIUS potiretur vitæ sociâ, MARIA LAUTERBACHIA, ex Misnensium Equitum familia celebri, ac literata; BARTHOLOMÆI LAUTERBACHI Filia; Consiliarî quondam Serenissimi Electoris cum Mauritio, tum Augusti, Saxoniae Ducum, Præfecti Nossensis. Fuerat hæc primitus nupta SIGISMUNDO LOTTICIO; quæ huic alteri marito, præter *matronalem, ornatum, pietatem, pudicitiam, observantiam, obsequium, affabilitatem, rei familiaris curam,* attulit

TOGATA NOBILITAS.

attulit quoque dotem certè, minimè aspernandam. Neque enim Olympiaden, Philippi Macedonis Conjugem, erroris arguo; quæ *digitis aiebat eos ducere uxores; qui dotem sponsæ supputant:* sed providenter addit; *nisi unâ explorent; qualis eadem in convivu sit futura.* Videre enim Vos videor ita animatos, Auditores: ut existimetis; si cætera foeminae bona, quæ animi, quæ corporis adsint: *divitias mediocres, quibus & labescenti Patria succurramus & nos nostrosq; solemur, haud esse in mulieribus aspernandas. Neq; dos, opinor, corrumpit conjugem bonæ indolis:* quin ex adverso, quod in Catone vidimus, *etiam pauperes, bumilesq; sunt asperæ; cum in altum surriguntur.* Erat hæc MARIA Conjugi suo minimè amara: quæ id dabat operam; ut molestias Viri, domi, forisq; haustas, cum verborum linimentis, tum suavitate morum mitigaret. Ac sanè opus habebat Maritus ejusmodi *ἡλικίῳ*, progressu annorum; quibus *& bonos & onus capiebant incrementum.* Nam & triennio post initum matrimoniū,

Plutarch. d. libro
duc.

CASPARIS DORNAVI

an. 619. 19 xiii.

in Comitibus ab Equestri Ordine lectus fuit in Senatum Optimatum: & tempore haud prolixo post, quasi Papinianus aliquis aut Trebonianus, ab eodem Ordine designatus fuit; qui munere Provincialis Syndici fungeretur. In quo si quisquam aut prudentiam ejus desideravit, aut candorem, aut integritatem, aut diligentiam: eum maligno aliquo Saturni fidere adflatum esse, res docet; quæ ex se testis incorruptus. Quanquam exiguo tempore has partes gerere licuit. Postquam enim ERNESTUS RECHENBERGIUS, vitæ laborumque satur, ex hac fragilis mundi civitate ad politiam coelestem ab Imperatore summo vocaretur: ne quod detrimentum caperet. Respublica: Cæsar Rudolphus, per Legatos, Consiliarios Cameræ Bohemicæ, Præfecturæ administrationem MEZRADIOS vicariam, interim committit. Nimirum aromata, cum digitis teruntur aut pisillo, explicant, promunt, spargunt magna cum gratia odorem suum: *ingenia item generosa, vires*

TOGATA NOBILITAS.

vires suas exerunt luculentius; quò negociis præsint excelsioribus. Quod MEZRADIO tam erat proprium, quàm avi volare, api condere mellificium. Ex quo non modò inter suos, domi, in Patria, laudibus gliscebatur Viri pro Republica sollicitudo, cum felici dexteritate conjuncta: sed transvolabat quoque nomen celeberrimum altissimos Bohemiæ montes: ad solium Augustale Potentissimi Rudolphi perrempebat. Coram eo, ex Decreto Ordinum, Pragæ, præsentibus & Patriæ Hexapoleos, & Bohemiæ, & Sociarum regionum Legatis, verba fecit; quid arbitramini, Auditores? eâ certè prudentiâ, & facundiâ promptâ, & brevitate rotundâ, & nativâ, non cerussatâ elegantia: ut, quasi philtro, sed innoxio, in amorem sui jam tum pelliceret Summates Aulæ: quid hos dico? Ipsum quoque RUDOLPHUM: at quantum Principem! cum profecto, qui ingeniorum & Index & Judex erat accerrimus. Hujus gratiam, suæ verò

&

an. 613. lxxiv.

Plutarch. in problemat.

& legationis & eloquentiæ fructum sensit paulò post uberrimum. Cæsaris enim voce manuque augustissimâ cum excitus Pragæ esset, præcipuâ dignatione habitus: Præfectura Lusatiæ, ritu solemnî, frequentî Procerum Aulæ coronâ, inter festas gratulationes, fidei ejus tradita fuit. Ad quod officium, etsi & superstes Pater, & cordati amici addebant dubitantianimum: vix tamen initio consistebat firmus in instituto atque consilio: cum animo occurreret: *nihil esse difficilius, quàm præesse plurimis; quibus si cuncta præstiterit Magistratus, utilia & jucunda: similis tamen est platano arbori: ad quam cœlo pluvio, ut, aiebat Themistocles, homines confugiunt: sereno verò, lapidibus eandem ac fustibus petunt.* Atqui in hac Præfecturæ susceptione vincebat & *salus Patriæ, cui nos nostraq; debemus; & auctoritas Cæsaris, cui nefas obistere: cum primis verò exploratissima voluntas Dei; qui licet de cunctis hominum rebus dispenset: tria, tamen præcipuè curvis, in tabulis divinæ suæ* pro-

providentiâ transcribit; matrimonii rationes, statum muneris, mortis deniq; genus. Adjutus ergo his fulcris, quæ bonâ spe nixum in mediis tempestatibus sustinent; in arce Budissinensi, in oculis Patrum, votivis acclamationibus honorum omnium, inauguratur, confirmatur, salutarur LUSATIÆ PRÆFECTUS, per delectos ad hanc Panegyren ab Imperatore Viros Illustres atque Generosos, SIGERIDUM L. Baronem PROMNICIUM, Cæsaris Consiliarium; BENNONEM HELVIGSDORFIUM & FRIDERICUM TSCHIRNHAUSIUM. alterum diœcesis Budissinensis Capitaneû, Ducatus Gorlicensis alterum. Efferebat statim in primis annis Provinciæ hujus tam illustria signa virtutis variæ: ut Benignissimus Cæsar, solitus examinare honorum axiomata, CONSILIARI jure eum ac titulo dignaretur. Sufficere poterant hæc onera, MEZRADIO injuncta: nec videbatur urgendus pluribus: cum Ipsi olim Imperatores legibus caverint: *Honorem sustinenti munus imponi non posse:*

F

munus

munus sustinenti honorē deferri posse. Atqui ita consueverunt Principes, & Magnates ceteris: ut Ministris atq. Amicis suis, quos compererint promptos juxta & ferundopares, non unum fascem, sed ingens sæpè plaustrum imponere non dubitent. Quanquā videntur se jure tueri hoc nomine posse: utendum omninò esse iis, qui antistant aliis: & quod Sospirator humani generis ultrò docet, plus fœnerandum esse iis; quibus decem talenta in usuram fuerint erogata; quàm ei, qui unicum acceperit. Nec præjudicare huic potest sententiæ; quod de Metiocho quodam, omnia agere volenti, Athenis civium sermone circumferebatur: Metiochus exercitum ducit: Metiochus vias curat: Metiochus farinam tractat; Metiochus cunctis aliis præest: Metiochum itaq; plorare oportebit. Etsi enim cum vero, & æquo, & usu seculi consentit: rarò esse felices, qui, cum tenuissimarum sint virum; omnia tamen conficere ipsi sat agunt, aut temeritate, aut avaritiâ, aut ambitione, aut simplicitate, quæ stultitiæ adfinis: sunt tamen ingenia ex ad-

verso

Plutarch. de Re-
pub. gerenda.

Quintil. lib. 8. cap.
19. Infil.

verso alia, mirum, quàm agilis atq. velocis natura! Omninò ut Citharædi simul & memoriâ & sono vocis, & plurib. flexibus serviunt: cum interim alios nervos dextrâ percurrunt; alios lævâ trahunt, continent, præbent: ne pes quidem oculos, certam legem servat: sic ingeniosissimi quique ne possunt quidem aliquid unum agere tantum: in plura verò, non eodem die modò, sed eodem temporis momento vim suam intendunt. Quod si accedat summi Magistratus autoritas: quæ pro divina voluntatis habetur internuntia; quæ hominis actuosæ firmet conscientiam adversus procurstantia qualiacunque tela: quis erit tam parcus æstimator ingeniorum: ut neget, unum eundemq. Virum plurimis aliis præstare, plurimis officiis præesse posse? An erit quisquam in MEZRA-
D I U M inclementior? qui, suasu Procerum Patriæ, & hortatu, & voto, præter administrationem Diocesis

Budissi-

CASPARIS DORNAVI

Budissinensis, non gravatus quoque fuit, Promarchionis Lusatiae superioris vices suscipere. Erat tū Promarchio Illustris Heros ABRAHAMUS BURGGRAVIUS & L. Baro DOHNAVIUS; sanè quàm venerandæ gravitatis & peritiæ rerum civilium: qui à puero propè RUDOLPHO CÆSARI familiaris, comoda ejus atq; ornamenta rebus dubiis tutatus strenuè fuit. Hoc carere ægerrimè poterat Cæsar Sapientissimus: hoc aut coràm utebatur, consilio intimorum consiliorum: aut Legato Parario, aut compositore in rebus arduis. Quocirca ne Lusatia, Pro-Marchione absente, fido Præsides videretur destituta; CASPARI MEZRADIO persuasit multis argumentis DOHNAVIUS, jussit Imperator, comprobavit Lusatia universa: ut Marchiam gubernaret Iple, Personam Præsidis sustineret. Potuissetne MEZRADIUS tot, tamque Magnorum Virorum, preces, an imperia, ventis cōmittere? Minimè id quidem patiebatur: sed in eo defigebat omnes

curas

TOGATA NOBILITAS.

curas cogitationesque: ut se dignum præstaret conceptâ de se opinione, quantum liceret, omnium. Patebant aures ejus cunctis: nullius querelis erant clausæ: de occupatione nunquam causabatur; nulla penes eum distantia erat personarum; qui præcipuæ notæ viros æquè audiebat, ac quemvis, è plebecula: *vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis*: æquis desideriis propensus; nec iniquis mordaci ferociâ acerbus. Noverrat, quàm *facilis esset in odium morosa tetricitatis prolapsus*: quâ olim Pausanias infamis; cum se accessu præberet difficilem: sed & iracundiâ in omnes ferveret tumultuariâ, ut nullus auderet accedere; sociis Græciæ dedit causam defectionis, & ad Atheniensium partes transeundi. Neque verò hæc ejus facilitas abibat in quandam lentitudinem, aut juris laxitatem; sed harmonicâ quadam temperie æqualitatis, sententiam dabat secundum illum, pro quo jus stabat contra injuriam. Causam decernebant merita, non gratia, odium, amor, gaudium, ira. Si quæ

Auson. Panegy.
Gratian.
Deuter. c. 1.

Thucyd. lib. 1.
Seneca de Clem.

Thucyd. lib. 1.

CASPARIS DORNAVI

controversiæ ingruiebant, prolixæ nimis, aut obscuræ, aut perplexæ, aut in familias odiosæ; id agebat, piâ moderatione: ut amicâ transactione paciscerentur inter se litigantes: quo adminiculo dissidentium animi placantur lenius, quàm sententiâ judicis: qua litem dirimit; odia plerumq; asperat. In cæteris causis, cùm actor reusque compromitterent in sententiam, pro tribunali ferendam; abstinebat transactionibus; in quibus promiscuè, sine evidenti, graviq; ratione frequentatis, alterutrum ladi oporteat; deq; iustitia nonnihil decerpatur. Verum enim verò, in Jure dicundo, telas illas disceptantium, in ipso litium stamine succidebat: judicia non permittebat prolongari, verbosis circuitionibus: quo sæpè Clientes, accisis in foro facultatibus, vorsuram facere cognoverat, solum vertere; aut facere artes, quas paupertas docet; meretrici nonnullis dicta: quia homines, prius aduetos delitiis, non tam bonas, quàm pravas artes condocet. Et si ergo non probabat rigorem GALEACII Mediolanensium Ducis; osoris omnium eorū, qui causas foren-

ses

TOGATA NOBILITAS

ses protrahebant: iustitiâ tamen haud vituperabat: cùm ille Caussidico, lites serenti, lites producēti, productas alenti, poenâ occurrit memorabili; etsi in exemplū non trahendâ. Hominē ille ad se accersitum compellat: Pastori se suo, ait, debere centum aureos, quos ei numerare minimè cogitet: quærit ex rabula; ecquid se tueri jure & rem protollere velit. Postquam non abnueret homo, ex aliorū sanguine, ut hirudines, vivere consuetus; Principiq; operam suam pollicitus largiter: hoc ipso fraudem confessus; verbis increpitus; ab infelici arbore suspendi publicè jussus fuit. Nolim verò existimare quenquā, Auditores: tam feliciter actum fuisse cum MEZRADIO: ut floruerit omniū gratiâ; quib. aut jus dicebat, aut præsidia alia cōferebat, quæ à Magistratu exigas. Sæpè in eo, etsi præter meritum, desiderata fuit, aut lenitas, aut severitas, à nugatoribus: qui malignitate quadam suæ linguæ non modò singula verba Præsidū notare solent: sed victum quoq; ut ait prudens Historicus,

jocos

Just. Lip. in monis. & exēpl. polit.

Ex Proverb. 2. M. P. 1.

Plutarch. in præcept. gerend. Reip.

Xipilin.

- 20. 19. 10. 1

jocos, domum, ipsam familiam, uxorem, cubile, curiosius conquirere. Nec nesciebat: necesse esse, quantumvis rectè judicetur in curiis, multos irasci: quia non tam multi homines numerantur justi: quanta est eorum copia, qui injuriam facere volunt: quorum cupiditates nemo, neq. Vir bonus, neq. Judex bonus expleverit. MEZRADIUS ergo, delatus olim in Aula: quasi minus providè vigilasset in cōmoda summi Principis: sensit equidem; quàm

Sit solita huic ævo, planeq. domestica labes,

Crimina falsa loqui; crimina vera sequi!

Addam etiam hoc; non parum percellebatur prius animo, quàm se recolligeret: quemadmodum fieri amat, ex Regis sapientissimi, scito; ut non modò humiles & plebeios, sed &

Ex Proverb. Salom. 7. M.

- 20. 19. 10. 1

Constantes animos perversa Calumnia turbet;

Linguaq. plus armis frangat acerba pios.

Postquam verò ad se paulatim redibat: dictu incredibile; quantà se præsentiâ animi, quo robore munierit adversus inimica dicta; quæ velut tela venenata in se traici obser-

observabat. Ipsa verba, quibus se in spem lætam extulerit, manu ipsius consignata, licet, si libet, legere. Tuebatur se cum primis fiduciâ, in fortissimo Jehova: qui facientem justas operas, in statione, dolo non quæsita, subverti non sinit: major ad protegendum; quàm Diabolus per satellites suos ad impugnandum. Frustra nos exhorrire maledicta: cùm habeamus benedictionis autorem, qui & possit maledicta auferre, & soleat. Conscientia itaq., non Calumnia satisfaciendum esse. In illam quippe, sine ulcere, puram atque candentem, si falsum crimen inciderit, perinde extinguere, atque in aquam ignis coniectus: nec vulnerari conviciantis opprobrio: ut nec malam conscientiam sanat præconium adulantis. Præterea ex hac ipsa Calumniarum sementi decerpebat Ille materiam, salutare Christianæ fidei opus exercendi; sectandi patientiâ; strenuè in officio, circumspectèq. laborandi: venerandi cœlestis Numen: in adversitate sanctas manus tollendi in cœlum: quoniam

Cyprian.

Ambros. ex Ps. 109.

Cicero.

Augustin.

G

Laus

CASPARIS DORNAVĪ

Nath. Chytr.

*Laus inflat, segnesq; facit: sed flagra modestos
Et cautos faciunt, exacuuntq; preces.*

Componebat se non minùs ad exemplum
Christi: seq; ipsum allocutus:

Vox mala Te laesit? laesit & hasta Deum:
animo suo firmissimè persuaserat, quod
crebrâ lectione divini Psaltæ didicerat: ex
Sione subsidium esse exspectandum;

*—Suo interea scelere ulciscente profanum,
Ac pendente genus, cœtum quocunq; piorum.
Exosi innocuum, studio adfixere maligno.*

Quandoq; etiam illud occurrebat:

Psalm. 34. v. 21.

*Fortè ubi jam sat casus ero; Deus ipse flagellū
Inferet hoc stygiis, ni resipiscat, aquis.*

Interim spe amplissimâ se sustinebat; fore,
ut tempus tandem, cuius filia Veritas, in
apricum quoq; protraheret innocentiam:
cumq; Salomone loquebatur:

*Avolat ut volucris; sic falsa calumnia transit:
Mendacis fama vox nivis instar abit.*

Nec falsus augurio hoc fuit MEZRADIUS,
qui simul atque ipse in Aulam Cæsaris abie-
rat: AUGUSTISSIMI Judicis aure servatâ
reo;

TOGATA NOBILITAS.

reo; nō modò ab omni dolo; sed doli quoq;
suspicionē purgavit se sanctissimè; Trium-
phator, in causâ iusta, plenus honorum di-
gnitatumq; ad suos rediit. Rediit quoq; ala-
crior ad pristina munia; in quibus, pari fide,
pari studio, & Cæsari sua deferebat, & patriæ
sua: quam modis omnibus exornatam vo-
luit: Privilegiis quoq; ab Augustissima ma-
nu ut locupletaretur, impetrabili suâ Suadâ,
solicitaq; curâ cōsecutus fuit. Quoniâ verò,
*nihil aquè Rempublicam honestare certum est;
quàm probi mores, sine malitia & disciplina, sine
injuria:* nisi velimus, non dicò in fece Ro-
muli vivere, sed inter medios Cyclopas, in
densissima Barbarie. Erat Ille acerrimus
Vindex omnis ferociæ; quâ Juventus cum-
primis verecundiæ castra perrumpere, & in-
licentiæ campum luxuriantem, spe impu-
nitatis, dedere se sibi gloriosum putat.
Huic opponebat legum repagula; *ne vi-
tia in proximum quemque transilirent:* oppo-
nebat formidines; ut *salutaris seve-
ritas vinceret inanem speciem clementiæ:*

Boeth. 4. de Cōsul.

Cicer. in Epist. ad
Brutum.

opponere pœnas; cùm verba nihil proficerent; mitia prius & melle condita: sed felle postmodum perspersa, ad necessariam usq; acrimoniam. Officium sanè ejusmodi; quod tantò nunc est rarius: quantò magis res flagitat, errantes in viam reducere: mirumq; adeò, miserum verè dixerim: nihil in Christianismo exerceri tepore tam noxio: quàm lapsantes, non dico verbo paulò severiori corrigere, sed omninò verbo ullo cōpellare. In hac concertatione operum & laudis, non potuit effugere, quin calamitatem quoq; domesticam persentiret. Carissimam enim LAUTERBACHIAM suam, cujus fidem in se & amorem prædicavit semper singularem, amisit: cùm annos eam quatuordecim amore Coniugali, quo decebat, prosecutus esset. Optabat sibi tum, imò conabatur, imitari turtures; qui compare altero mortuo, alterum non admittunt. At instabant Amici; quorum consilia apud animum perpendebat: rem suam familiarem, quæ & fundis aucta erat, & prædiorum access-

an. 1513. 1514. d.
Juni.

accessione, exigere attenti atq; seduli, propè assidui & accubui Patris vigilantiam. Ipse verò præstare hanc de se non poterat: quoniam nec Patria, districta plurimis negotiis, permittebat; *cujus saluti opes nostras facultatesq; jure postponimus*: nec Cæsaris negotia, fidei Ejus credita. Taceo, quòd primum conjugium cœlebs cùm exegisset, sperabat proliferum secundum, foecundumq; matrimonium: cujus beneficio familiæ succedaneos, Deo cultores substitueret: veniebatq; in mentē, quod ex prudentibus non nemo ait: *Qui cœlibatum sequuntur, aras & templa Dei destruere*. Nuptias ergo iteravit in arce Budissinensi; Cæsaris Legatis, omniumq; Ordinum Viris, tum præsentibus, genere, auctoritate, claritate Amplissimis. Sponsa erat HELENÄ, quam post se in toro viduo reliquerat Vir NOBILISS. VVOLFANGUS NUBELSCHICIUS, Curia Regiæ in Ducatu Glogoviensi Adfessor: Filia, propriâ & majorum nobilitate Viri spectatissimi, FRIDERICI SCOPPI, Cæsaris Consiliar in Camera
G 3 Silesiæ:

Dio. lib. 56.

an. 1513. 1514.
d. vi. Juli.

in Lessen.

auff Oeten-
dorff vnd
Glaserdorff.

Silesiæ: cuius, ad societatem cœlestis Curiz translati, in iudicio Regio Ducatus Glogovienſis honorificum locum tuetur, hodieq; Filius CHRISTOPHORUS. Hæc HELENA MEZRADIO erat Helena: delitium ſuave, & incomparabile: nō ut illa Græcanica, variis illecebris: ſed ſolidā pietate, fide, (audiat Numen Fidei) prudentiā, moderatiōe, faciundā, addo egregiā morum amœnitate; addo etiam doctriā. Quid admirāmini, Auditores; quōd doctriā excultam dixi fœminam! Utinam à Muſarum mitiſſimo cōmercio non excluderentur mulieres; quæ eandem cum viris animam habent, literarum capacem, atque ita comparatam: ut æquè fieri amet melior, atque nos gloriāmur, corrigere pravos mores ſcientiis liberalibus: quarum *ignoratio meliorem reddere fœminam nullam poteſt*. Ac nobis docta dicitur HELENA, non literis Latinis, neq; evolutione variorum librorum: qui Viros ſæpè undiquaq; confundunt: *cū ſapientiā locupletēs ſiant hominēs; non qui plurimā legerint* ſed

ſed qui optima; lecta atque intellecta rebus applicaverint. Gaudebat Helena, utinam diutiſſimè gaudeat, lectione ſacræ ſcripturæ & bonorum Autorum, linguā vernaculā; ad quam accedit naturalis ingenii, juxtā & iudicii exquisita bonitas. Quæ dona precioſa impertiverat natura quoque ſororibus eius; BARBARÆ, Generoſi VVOLFGANGI RECHENBERGI Viduæ, & defunctis ANNÆ MARIÆ JOANNIS NOSTICI Propriſſipis VVolaviēſis, nec nō SALOMÆ JOAN. HENRICI NOSTICI Conjugibus. Parum itaq; abeſt, ut tres iſtas Matronas, ex Sileſiæ Nobilitate tres Charites, & his additam Minervā dixerim: niſi eas malimus aſſimilare quatuor ex Muſis; ut cum Melpomene, Euterpe, Urania, Polyhymnia paria faciant. Felicem MEZRADIUM; dico feliciffimum; qui hac Conjugis præſtantiā Perſarum Regi cedere non debuit! Non auditum fuit, nec potuit audiri; quod ex ſapientibus quidam cecinit:

Qui

CASPARIS DORNAVI

Ex Stobaeo, Fran-
cise. Bell.

Proverb. 21.

an. 619, 15611x.

ann. 619 15621.

*Qui ductâ repetit thalamos uxore secundo;
Bis grave & iratum navigat ille fretum:*
in morosas quippe & pestilentes convenit
& litigiosas: cum quibus ne ipse habitare
vellet Salomon: *sedere in pinna tecti, aut in
densissima sylva errare mallet.* Hoc lenimen-
to, MEZRADIUS, & his mellis delitiis con-
diebat senectutis acediam, propius adven-
tantis. Accelerabant eam haud exiguae cu-
rae; quas augebat insperata Regnorum mu-
tatio & Principum: quâ non modò MAT-
THIAS Archidux armatâ manu, Pragâ &
coronam Regni Ungariæ, & titulû Regis
Bohemiæ reportarat: sed triennio quoque
post, exercitu item instructus, à RUDOL-
PHO, Cæsare summæ autoritatis & felici-
tatis, cedente regnis atque sociis regionibus,
administrationem eorum susceperat. Grave erat tum MEZRADIO, sententiâ se
tenere liquidâ; initio præsertim: cum sapi-
entissimis hinc inde, pendentibus adeò ju-
diciis, res tota inter malleum & incudem
versari videretur. Cumq; non omnia huma-
nis

TOGATA NOBILITAS.

*nis patere sensibus, ac ne scrutâda quidê cerneret:
erigebat se humo; & sic ratiocinabatur cum
animo suo, Patriæ, & summi Patriæ Princi-
pis observantissimo: Mundus equidem uni-
versus, quid aliud, nisi caducum domicilium, &
morientium rerum commune receptaculum? Ni-
hil in eo stabile: perituri inter peritura vivimus.
Hanc legem indixit Deus immutabilis; qui fami-
liarum & gentium, qui Principum & Rerum-
publicarum atates, momenta, vicissitudines, pue-
ritiam, incrementa, maturitates, interitum in
numerato habet; suis legibus circumscripsit. Illa
verò ubiq; intercurfantia mala non Principes
tantum accersunt: quanquâ accersunt maximè,
contumeliâ in Deum & Ecclesiam; tum oppugna-
tione religionis, prohibitione divini cultus, perse-
cutione piorum: sed nimirum etiam ex civibus,
privatisq; singuli, de criminibus suis addunt suâ
portionem loco auctarii, τὸ ἀνὰ δὲ οὐ μέλει: ut com-
munes pœnæ augeantur; quia singuli quidpiam
ad eas conferunt. Quemadmodum ergo ruinam
domus antecedunt crebra stillicidia; fumusq; adeò
ignem præcurrit: sic præsagire periculosas licet
mutationes: cum minores pœnæ antecedunt; pec-
cata verò ingravescunt, vetustate & malitiâ ro-
borata.*

H

borata. Ex quo cognitu haud est difficile; frustra nos esse, qui miramur, qui rimamur clades impendentes, aut earum causas. Fas erat potius; scelerum enormium nosse ac fateri magnitudinē, deplorare turpitudinem; cohibere delinquentium multitudinem; abrogare peccandi consuetudinē, quæ in naturam abit: flagitiorum deniq; atrocium publicè vel concessam licentiam, vel arreptam sistere; impunitatem gladio vindictæ tollere. Neq; tamen in perplexitate Rerum publicarum ita jaceat ullius in dolore animus: quin erigat se spe fecundissimâ; & pro oraculo habeat: Deum tenere mundi gubernacula; cujus & sapientiæ imputemus & paternæ bonitati, quidquid acciderit. De Ecclesiæ autem regno quanquam aurea somnia non sint concipienda: cū depuranda sit calamitatibus; ut ventilabro segregantur à tritico paleæ: certum tamen est; tutum illi & permanens hospitium esse concessurum Deum ipsum, Patronū Tutelarem. Ejus numen nomenque, majestatis plenum, invocemus: illud nobis pro fortissima turri; quâ casus excipere futuros, imò propulsare possumus. His sese confirmabat MEZRADIUS in omnē eventus aleam. Cumq; dies diē evidentiùs doceret; sed

sed & fieret planius: quid illæ in Bohemia turbellæ prælagirent; quorsum evasuræ: missus fuit Orator ad Comitia sociorum, Regnorum & regionum; qui consiliis item suis veniret in subsidium Reipublicæ. Peroravit tum aliquoties, ut antea coram Rudolpho, etiam Matthiâ audiente: hujusq; ad Regnum & socias regiones electionem, vicariâ voce Lusatiæ Superioris, comprobavit. Assecutus quoque fuit à MATTHIA Scienissimo; inaugurato BUDISSINÆ MARCHIONE LUSATIÆ: ut ipse & Consiliarium locum porro tueretur; & Præfecturam administraret. Cavete verò existimetis; titilanti ad eò aure hoc illum excepisse nuntium: cui cor saliebat modestissimè; procul ab honorum siti perniciofa. Potius id agebat; ut occiduâ ætate paulatim accedente, rude donaretur. Nam cū abiret ex Promarchionatu Illustris ABRAHAMUS DORNAVIUS; eumque cederet Filio, CAROLO HANNIBALI, etsi Juveni, egregii animi dolibus exornato: se quoque dimitti petiit MEZ-

AN 619. 19. CXI.
m. Septembr.

AN 619. 19. CXII.

CASPARIS DORNAVI

Plutarch, in vit.

Herodot.

MEZRADIUS, saltem Promarchionis vicem ne sustineret amplius. Non impetravit Auditores: *neg. n. cum Rerumpublicarum Directoribus aut Consiliariis tam benignè agitur, atque cum Alexandri equo, cui Bucephalo nomen; quem, annis propè confectum, in stabulo sinebat quiescere: utebatur aliis, ætate & virium robore equis firmioribus. At Magnates, si quos deprehenderunt fidos atq; idoneos rerum actores, ad extremum vitæ stillicidium exercere voluit: Et stantes adeò in ipsa functione commori.* Ipse Burggravius Abrahamus rogabat literis, quàm amicissimis: ab Filio suo ne sciungeret sese, aut officio. Ipse Filius, Promarchio Novus, idem contendebat, precibus non unis: probè secum, matureque meditatus & præceptum Salomonis: *Amicum Patris Tui ne dimiseris:* & Cambylis apud Persas infelicitatem; qui primo imperii anno vertente, miserrimè mortalitatem explevit: cùm Cyri Patris Consiliarios, viros utique cordatos, annis & sapientiâ provectos, neglexisset. Expetebat idem à MEZRADIO

TOGATA NOBILITAS.

DIO Ordo Equestris universus: idq; in aurem insusurrabat: *non amicitias utendum esse, ut floribus; tam diu gratis, quamdiu recentibus:* *Cicero pro Lelio.* sed veterrimas amicitias (ut vina, quæ vetustatem ferunt) esse suavisimas, utilissimas. Multum valebant hæc studia, atq; cohortationes apud hominem; qui minimè omrium se sibi natum volebat. Cæsaris deniq; accessit Rescriptum longè honorificentissimū. Nempe Supremus Ipse Marchio, Matthias Augustissimus, MEZRADI fidem, & diligentiam, & ornamenta varia dignis mactabat præconiis: ipsum verò Suadâ benignissimâ permulcebat: pergeret, quâ vigeret, statione: sed & Lusatiæ ipsissimos Ordines commonebat: ne vel obsequiis, vel ad Justitiam ullis adminiculis MEZRADIUM destitueret: quod se facturos Illi, ex se proni ad optima quæq;, largissimè promiserunt; præstiterunt. Quo animo tum fuisse crediderim MEZRADIUM, nō necesse habeo dicere. Agnoscebat nefas esse, vocante cœlesti Imperatore, vel nolle, vel cum murmure sequi: Illius autem

autem Oratores esse, & quasi Lectores divini decreti; quicumque Magistratum legitimo ordine gerunt. Parebat ergo cum lubentiâ, & novis meritis Patriam sibi, bonos omnes magis magisq; devinciebat. Quid Patriam dico? Exteris quoq; erat gratus, & celebritate nominis in delitiis habebatur. Neq; enim facile inventus fuit quisquam, Virtute clarus & doctrinâ literarum: cujus Ille non & appetierit amicitiam; & officiis atque constantiâ stabilierit. Condimenti loco reputabat, literarium iter; idq; frequentissimum, cum Amicis terere. Unum est, quod penè proprium habebat; nescio, an spe ullâ cuiquam facile præsumendum: quod in munere negotiosissimo, vacare poterat lectioni tã assidue, tot librorum, tam varii diversiq; argumenti. In quam rē studiosissimè instruebat Bibliothecam, & multitudine Autorum & bonitate locupletissimam: quâ Gentiles Ejus, non minùs gaudeant: quàm si armamentarij Veneti partem multò maximam possideant. Erant tum inter Patres

Rei

Reipubl. literariæ; qui gloriosum sibi ducebant, audire PHILIPPICOS: cùm sermonis genere uterentur vili, protrito, abjecto, elumbi, fluxo, dissoluto; neq; rerum gravitate, neque verborum dignitate exculto: à quo ipse elegantissimus abhorrebat MELANCHTHON. Illi tam erant delicati, an pertinaces: ut, si qui alii adsurgerent altiùs; si, veterum more, stylo uterentur gravi & masculo: proscribendos esse, legendos minimè, sinè suffragio populi clamitarent. MEZRADIUS tam teneræ superstitionis non erat: cui dictio placebat robusta, & rebus grava, verbisq; splendidis: & cùm præsciret, quàm verè

—nullas recipit prudentia metas;

Claudian.

quandoque à veterum libris discedebat ad recentiorum amœnissima vireta; Scaligeri, Lipsi, Cauboni, Thuani, Gruteri, Guicciardini, Matthæi, Cuiaci, aliorum; ipsa quoque propitio Mercurio confita: sibi que illud Cornelianum accommodabat:

Mento

CASPARIS DORNAVI

*Mento canescant alii; nos mente: capillo;
Nos animo: facie; nos pectore: tempora certè
Virtutem non prima negant; non ultima
donant.*

Cuncta verò, quæ legebat, ad Provinciæ
suæ referebat decus: quâ rectiùs fungere-
tur; mente subinde novis ad scientiam si-
mulachris atque notitiis ditatâ, & quasi im-
prægnatâ. *Evigoratur enim & animus & me-
moria, crebrâ actione, in tanto rerum, totiesq; i-
terato flexu: nisi menti novâ lectione ac medita-
tione, nova robora subinde conferantur.* Non
minori industriâ, dicam veriùs, pietate,
colligebat, undecunque poterat, insignia
monumenta; quæ ad aliquam Patriæ Histo-
riam concinnarentur: si ex Viris eruditis ex-
citari posset ullus, qui hanc sibi materiam
scribendi deligeret: cui ipse de suo præmiũ
haud pudendum destinabat. Adeò cupie-
bat Patriam eminere non bonis tantũ le-
gibus ac moribus: sed honestâ quoq; præ-
dicatione nominis, & memoriâ rerum ge-
starum; quæ tam necessaria est posteris: ut
sine

TOGATA NOBILITAS.

*sine cognitione præteriti seculi majorum, non mi-
nus illi cæcutiant; quàm Solon olim, & quidam
alii è Græcis: quos sacerdos Ægyptius, non* *Plato in Timæo.*
*sapientes, sed pueros appellabat: eò quòd nul-
lam vetustatis tenerent scientiam.* Verùm nos
miselli, saxei non sumus; ut durare possimus
ætatem: imò si saxei essemus, attererentur
paulatim vires: quippe

Mors etiam saxi nominibusq; venit. *Auson.*
Sentiebat MEZRADIUS, vigorem sensim in-
telescere: & quanquam ægrescebat, molli
ocio deperdere senectutem; parte saltem
oneris, ne omninò succumberet, levare sese
cupiebat. Negare ampliùs non erat integrũ
iis, quibus hoc permissum. Itaq; triennium
ante tempus emortuale, impetravit: ut
Dioecesis Budissinensis Magistratu in ADOL-
PHUM GERSDORFIUM, Virum Magnificũ
translato; Ipse, posthac Promarchionis Per-
sonâ ne gravaretur. Factũ illud cõcessumq;
lubentibus animis: quoniã prospiciebant;
*Viro promptissimo ita esse utendum: ut diu seuti-
bilem præbere queat.* Præfecturam ergo reti-
nuit

CASPARIS DORNAVI

nuit: in qua nihil unquam de solemnī fide
suā remisit & operā: etsi haud rarò *intercur-*
rerent procellæ; quæ firmissimum quemq; subver-
tere potuissent. Etsi enim Conjugium secun-
dum erat cæterā secundū: postquam ex
mente animi nactus erat vitæ sociam: inti-
mistamen sensibusangebatur frequentis-
simè: cū ex tribus Filiis, unā Filia, vivacē
educare prolem in spem posteritatis non
daretur. Insidebat cum primis altissimè do-
lor, ex morte Filioli; Patri cognominis: qui
in balbutienti ætatulā, & recitatis scripturæ
dictis, & verbis aliis ad prudentiam referen-
dis, suspicioso nos semper metu percelle-
bat: ne fieret, quod factum, communis
naturæ sanctione. Nimirum, ut in aliis,
properando tardiùs incepta perficimus: & in-
stirpium genere, quæ præcociùs proveni-
unt, flaccescunt vieta ante tempus: sic
in puerulis, nisi tardè suscipiantur incrementa,
celerius occidit festinata maturitas. Hæc libe-
rorum orbitas faciebat: ut mæstus Pater ar-
dentiori cupiditate sibi exoptaret, ex hac
vita

Thucyd. lib. 1.

TOGATA NOBILITAS.

vita transitum, ad societatem prolis suæ, &
quasi postliminiò restitutionem. Ita enim
ajebat; atq; his verbis solabatur me olim, in
luctu simili jacentem: *Ibi cor nostrum & co-*
gitatio; ubi thesaurus noster: liberi verò nostri
quid sunt aliud, quàm cordis cujusq; sui portio. Hi
in cœlis agunt: illic depositum nostrum; illic the-
saurus. An distemus à cordibus nostris ipsi? the-
saurisne nostris uniri rursus moremur? Quoni-
am verò ad cœleste illud palatium adspira-
re non licet; nisi corrupto priùs externo
homine; & domicilio isto corporis per-
mortem resoluti: superveniebat morbus,
vehemens sanè, immanisq; renū calculus.
Conflictatus equidem pluribus retrò annis
fuerat, cum eodem hoste sanitatis suæ: sed
dolores illi vix velitationes fuerāt, præ istis
cruciatib; qui parturientiū dolores supera-
bant. Eluctari nō poterat: quantūvis id age-
ret: manus quoq; Deorū [ita quispiā appel-
lat medicamēta] adhiberet; quæ ingenium
hominis lōgi temporis usu exercita confe-
rebat.

AN. CIO. 13611XX d
V. M. A. I.

CASPARIS DORNAVI

rebat. Sed invalida erant omnia: quoniam
sicut mentem Deus adimit hominibus; consilia
perturbat: si quem precipitare constituerit: per-
inde medicamentis subtrahit vim suam agendi;
cū vita extrema pausa est facienda. Hanc im-
minere sentiebat sagacissimus Vir: nec an-
gebatur: angeretur vero? imò latabatur,
propioresse diem; quo terrenis cœlestia, magna
parvis, caducis aeterna succederent. Ad hunc
transitū ex vita in vitā, vel rectius ex morte
in veram vitam, jamdiu se præparaverat:
quod testatur epitaphium ab Ipso olim vi-
vente scriptum; dignum sanè, quod à No-
bis accuratè cognoscatur. Sic enim habent
verba:

Hoc mea CASPARI tumulo posita ossa quies-
cunt:

Latatur cœlo spiritus ante DEUM.

Prima fuit studiis à me transacta juvenus:

Summa sed aeternum noscere cura DEUM.

Hunc colui precibus; verā pietate fideq̃:

Hic latā & tristi spes mea sorte fuit.

Hic

TOGATA NOBILITAS.

Hic me non meritum donis insignibus auxit;
Immensâ servans meq̃ meosq̃ fide;
Atque meam vitam mirâ ratione gubernans,
Indigno patriâ juratuenda dedit.
Justitia studium, patriâ mihi commoda cura,
Et cultus vera religionis erant.
Non tamen erratis carui: mortalibus error
Proprius est: justo justior errat homo.
Munde vale; male livor abi; labor improbe cessa;
Et discede dolor; quæ mala mundus habet.
Justorum salvete animæ, quas continet æther:
Gaudia vobiscum quanta futura mihi!
Cum patris aspectu, Gnati, sanctiq̃ fruemur
Flaminis, & plenâ cognitione DEI.
CHRISTE fac, officium faciant pietatis & aequi,
In terris quos vis degere & esse super.
Ut tibi semper honos & publica cōmoda crescant;
Et benè sacra, forum floreat, atque torus.
Corpore sicq̃ animâ leti jungamur olympo:
Hic dolor est: cœlo vita, perenne bonum.
Quamquam verò, crediderim; animali ho-
mini grata fuisset ulterior familiaritas cum
Conjuge, quæ efficacissima toto morbo so-
laria adferebat; cum Cognatis item, Pro-
pinquis

CASPARIS DORNAVI

pinquis, Amicis, conversatio: Interiori tamē homini, qui ex spiritu est, vana hac illicia haud arridebant. Hic amor Uxoris, amorem Christi præferebat; iniquum aestimans, plus diligere beneficium, quam benefactorem. Carior porro erat Christo Fratri cognatis suis: quos se olim cariores recepturum sperabat. Pro Amicorum consuetudine, erat ipsi spes amplissima multarum myriadum, cœlestis Hierosolymæ incolarum; qui nuptias agni, ab initio maculati, sequuntur. Ad hoc iter parabat se duplici quasi viatico; patientiâ & pietate. Neq; enim in acerrimo dolore quidquam faciebat dicebatve, aut indignum Viro gravi, aut homine Christiano; cordatè repetens Paulina verba: Arbitror ego, minimè pares esse præsentis temporis perpeſsiones gloriæ in nobis revelandæ. Publicis quoq; malis, quæ fatales in Bohemia motus concitabant, etsi haud parum turbaretur; omnem tamen & publicam miseriam &

Augustin in Epist.

Rom 8. v. 18

T OGATA N OBILITAS.

& suam Jehovæ sospitatori commendabat. Illi adhæsit fiduciâ ineluctabili: cui à primis unguiculis ad extremum vitæ punctitium tantâ servivit puritate & constantiâ; quanta in hominem cadere, pro mensura Spiritus Sancti potest. Experiebatur tum, quid esset, non feces tantum senectutis, sed juvenutis quoq; florem Deo tribuisse. Redundabant in ipsum consolationes, quas vitâ universâ hauserat ex studio Theologico: in quo ita erat versatus sedulo atq; liberaliter: ut in ruborem dare potuerit multos, qui rerum sacrarum mystas sese profitentur: tantâ vicissim æquitate; at ab iis se minimè segregaret; quia agnosceret ultrò fratres; à quibus uno alterove articulo fidei sententiam suam sejunxerat. Cum Deo itaq; in gratiam rediit seriâ pœnitentiâ; quæ quasi altera tabula est, quâ naufragio ejecti miseri, in beatitatis portum navigamus. Paulò post usus Cœnâ Dominicâ, stabat procinctus ad postremum vitæ agonem: epu-

CASPARIS DORNAVI

Hilar. de Trinitat.

epuloque illo spirituali recreatus, ab insidiis Satanæ non metuebat: cum Angelicus eum cibus ad pugnam roborâset. De cætero etiam testabatur: nullam animo suo infidisse tam gravem injuriam, à quoquam illatam, aut offensionem; quin eam exterferit mansuetudine ac facilitate: ut ne vestigium quidem ullius rancoris superesset. Quare cum adstantibus agebat frequenter: cum primis verò ipsi volupe erat, sermones miscere cum Ministris verbi Divini; quibus animi sui firmitatem verè comprobavit; non vacillans, aut in religione ac pietate fluctuans ullo modo pectus: quale in Eo nullus unquam deprehendere potuit. *Est verò etiā pii hominis, de re familiari disponere;* quā quique post excessum suum, ad normam æquitatis fieri velit, ac decenter inter suos, & honestè. Egit in cunctis hi cæ cautè circumspectèq; Viator hic, ad æternam vitam propensus: utque ordinis fuit studiosissimus quo ad vixit: sic desiturus vivere, ab se segregavit in Tablino suo literas publicas & privatas:

TOGATA NOBILITAS.

vatas: quæ Cæsaris deberentur rationibus, seorsim condiderat: seorsim item, quæ Patriæ, quæ familie, quæ aliis. Toto verò decubitu Christū in ore, in corde, in oculis, in osculis tā gerebat firmiter: ut noctu etiā cum tantulū somni indulgeret vis morbi ac doloris, animo recurreret. Neque o n., Auditores, quin recenscam piè, quod Pientissimo Viro accidit verè: per quietem illi somnianti occurrerunt hi versiculi, à liberrima mente compositi, atq; ultrò, quasi sine cura, suggesti:

Diluvium nullum flammæ extinguet amoris;

Quo me prosequitur corde favente Deus.

O incomparabilis pietas! Hoc illud est, in adolescentia versus scribere; unde in ipso vitæ mortisq; conflictu sanctissima Poësis aliquod viaticum ad cœleste iter surroget! O dulcis ἀνέμνησις! cum, istā sanctimoniā,

Omnia, quæ sensu voluntur vota diurno,

Corpore sopito reddit amica quies!

Ennio in somnis Homerus obversabatur; de quo vigilans sæpe cogitabat. Quantum

K

præstat

CASPARIS DORNAVI

præstat, Christum etiam somniis nostris intercedere! Atqui intercedet tantò certius; quātò nos Ei plures diei horas impenderimus; cum Ipso egerimus. Ac distichon illud decumbenti ægro tam erat gratum auribus, animoque: ut crebro illud sermone identidem repeteret. Accersebat ex Sacrosancto Codice alia item scita: quæ aut Ipse recitabat; cum liceret per vires: aut prælegi sibi curabat ab Anagnoste. Habebatur quippe in pròptu libellus egregius; quo hæc talia erant consignata: partim ab ipso Spiritu Sancto, per ora Patriarcharum, Prophetarum, Christi, Apostolorum; partim ab Ecclesiæ doctoribus egregiè prodita; partim ab ipso ægro, cum valuisset, concinnata. Opus sanè pretiosum! Habebat Octavius Augustus tabulas; quibus arcana quædam Imperii inscripserat: quales Principibus suadent confieri debere ii, qui de rebus civilibus judicare possunt. Non improbo: illud doleamus:

Sueton. in Vit.

T OGATA NOBILITAS.

leamus: plures esse ex nostro ordine; qui tam sacro codicillo atque opusculo se instruere dubitent: unde arcana remedia adversum mortis furias possint depromere. Reperebat quoque suaves admodum & delicatas mellinias, ex meditationibus probi Theologi atque Doctoris, LUCÆ POLLIONIS: cujus de vita æterna libellum, scitum atque purum, Parens olim MEZRADIUS, natus iam tum annos quatuor & septuaginta, Latinitate donaverat; à piis postea gratisque liberis, CASPARIS sumptu, in famæ campum, mortuo interprete, productum. Ne quis existimet: indignum esse Heroico spiritu, vacare sacris: quæ auream virtutis coronam consummant. *Nondum cessabant ægri dolores: nondum preces.* Deficiebat corpus: anima tantò reddebatur purior & alacrior; quantò vicinior cælo. Gratissimum erat Regii vatis carmen, quo se excitabat, in Jesu suo confidentiâ:

*Quem sequar inveni: cælum tellusque valete:
Hujus modò copia fiat;*

*Psalm. 72. v. 25.
& 26.*

Nil

CASPARIS DORNAVI

*Nil mihi vobiscum est: hunc ardeo pectore solum:
 Haud ipso carius aether,
 Haud aequè dederit quidquam mihi terra colendū:
 Cunctorum est instar in uno.
 Ut mea succumbens caro lucta mole labascat:
 Ut vires deficiant cor;
 Tu vires mihi languenti, roburq; ministras,
 Mea solus petra salusq;
 Quassatq; metu spes & fiducia cordis.
 Jam propè erat, ut extrema stillicidia ex cle-
 ptydra vitæ elaberentur: quod præsentiens
 Vir religiosus, jam tum maximam sui partē
 inter Coelites; porrectâ manu, Patrum mo-
 re, valedixit Conjugi, cognatis suis & Pro-
 pinquis notâ purissimâ commendatæ: ul-
 timum quoque vale, eadem manu sanguine
 sibi, amicitiaq; junctis, comprecatus. Qua-
 drans horæ ante decessum nō abierat; cum
 hæc verba, sono satis claro, ex Ipso audi-
 rentur: *Sospitator Deus, succurre mihi!* Vo-
 tum sanè efficacissimum! Conversus enim
 in alterum latus; quasi reconditis cogitatio-
 nibus vacaturus; cum Deo acturus: solvi-
 tur*

TOGATA NOBILITAS.

tur illud corporis, & animæ vinculum: spi-
 ritus cœlo tradux in cœlum Patrium remi-
 grat; illicitam certò præstolatur novi olim
 corporis reduntionem: quàm verum est;
*coronari eum nunquam interituro ferto, qui bo-
 nus miles secundum legem Christi certaverit.*
 Quis enim dubitationi locus? In Salomo-
 nis templo, quo nihil Palæstina habuit ma-
 gnificentius, palmæ conspiciebantur, quas
 nec caries, nec senium ullū vitare poterat.
*Quantò minùs corpora nostra obnoxia erunt
 corruptioni: quæ Ipse Spiritus sanctus,
 Hospes æternus atque immutabilis, domici-
 lia sibi præstinauit.* Absq; hoc foret; Nobilif-
 sima HELENA, viduata tam Illustri marito,
 quem verbo dicimus unico, in laude & ex
 laude vixisse, acerbius condoleret: fortean
 contentis votis ambitura; ut cum Conju-
 ge suavissimo, unus sibi daretur tumulus,
 qui olim thalamus fuerat: perinde ut

— *Eois lex funeris una maritis,
 Quos aurora suis rubra colorat equis.*

K 3

Namq;

*An. 619. 19 cxi 118.
 d. xv. Junij.*

2. Timoth. 2. v. 35.

1. Reg. 6. v. 28.

Irena.

*Propert. li 3. eleg. 7.
 Cic. 5. Tunc.*

CASPARIS DORNAVI

*Namq; ubi mortifero jacta est fax ultima lecto;
Vxorum fufis stat pia turba comis.*

*Et certamen habent leti; quæ viva sequatur
Conjugium: pudor est, non licuisse mori.*

Tertull. in apolog.

Atqui hæc spes nobis postquam reposita
est; fore, ut *quemadmodum lux, quotidie inter-*
fecta, resplendet; tenebra pari vice decedendo
succedunt; ita nos restituendi simus, qui diem no-
strum obivimus: nunc causâ habent Cognati
& Propinqui, luctum piè moderandi. Faciet
hoc MAGNIFICUS ABRAHAMUS
MEZRADIUS, Germanus superstes uni-
cus; qui satagebat operire

Id. epiced. Pedon.

*Lumina, cœruleâ jam jamq; natantia morte,
Lumina, fraternas jam subitura manus.*


Hunc ita moestum esse convenit: ut quod
munus nunc gerit, fraternum olim, P R O-
VINCIALIS ARCHISYNDICI in Supremo
Ordine Lusatiae, eo diutissimè porrò defun-
gatur; pariq; laude, quod fecit hætenus;
quâ olim ILLUSTRIS: Principi R O S E N-
BERGICO à consiliis fuit; multis hætenus
Legationibus in Aula Cæsarum, Regum,
Princi-

TOGATA NOBILITAS.

Principum exercitatus. Agnosceret perinde
HENRICUS MEZRADIUS, defuncti Fra-
ter Consanguineus; quid se facere in com-
muni luctu deceat. Equidem is, non Fra-
trem amisit; quanquam etiam hæc jactura
irreparabilis: sed Patrem benignissimum:
à quo sedulâ curâ ab extrema fermè infan-
tiâ educatus, ad literarum studia traductus,
domi quidem privato sæpe congressu exci-
tatus; ad scholas, ad Academias externas li-
berali sumptu emissus; quem reversum atq;
elegantè doctum ita præparavit, excoluit-
que arcanis Politiae Frater: ut in spem Patriæ
uberrimam crescere, imò crevisse prædice-
tur. Pertinet ad hanc trigam amabilem
GENEROSUS item VIR, NICOLAUS GERS-
DORFIUS, Præfecturæ Budissinensis
Adjunctus Regius; Beati MEZRADI
ex sorore Nepos? tantis ingenii, ju-
dicii, doctrinæ, Virtutisq; insignitus
dotibus: quantæ ipsi sufficiant ad Illustre
genus, ex se condendum: si familiâ
fe^{ala}

foret novâ ; quæ illi est antiquissima juxtâ
& amplissima, & celeberrima. Omnes isti,
singuliq; prudentiâ utentur suâ ad singul-
tus comprimendos: *ne Fratri cognatoq; agrè
facere videantur*: qui minimè est conditio-
ne lachrymabili. Potiùs illud est conjunctû
cum officio nostrum omnium; Misericordi
Deo gratias agere, quantas possumus: quòd
ingrato mundo tam Nobile organon con-
cessit; tamdiu propitiùs indulgit; Ecclesiæ
commodo, saluti Reipublicæ, ornamento
Patriæ, familiæ præsidio, bonorum deniq;
omnium solatio. Eidẽ DEo, largitori præ-
stantium donorum, supplicamus: ut, inter
hos decumanos rerum fluctus, assertâ Ec-
clesiâ, Patriam ipse ceu fulcro sustineat; ser-
vatis atq; etiam submittendis posthac Re-
ctoribus priscæ Virtutis & fidei: siquidem
omninò, post auxilium, quod cœlo depo-
scimus,

Moribus antiquis stat res humana Virisq;.



Attende, Attende,

Attende, quisquis es, lege, imitare,

Si te fastidium mortalitatis, immortalitatis afficit desiderium,

CASPAR à METZERAD

in Malschicz & Dobereschütz,
ex antiquissima Metzradiorum & Kopperitiorum familia
Anno 1555. propitio fato susceptus,
virtuti, pietati peradolescens assuevit,
Lobavię Lusatorum literis humanioribus initiatus paulum
maturuit, parentum expectationem ingenio, studioque su-
peravit: ut studiis Academicis, parentum indultu, sua-
su virorum prudentum, Ann. 1573. tempestivè;
sed commodè applicaretur.

Proinde biennium VVittebergæ Saxonum confecit, virtute,
doctrinâ ad invidiam usque confirmatus.

In patriam suorum consilio revocatus negociis primùm do-
mesticis, hinc ministeriis aulicis An. 1579. admotus, Au-
lam cumprimis Cæsaream, judicii impen-
dio, cognovit penitus,

Contra fortunæ aliquandiu novercantis assultus masculè lu-
ctatus, dum, elapso quadriennio, negocia ipsi publica in pa-
tria deferrentur, Assessoris enim in supremo provinciæ
dicasterio munus cum laude gessit & confecit.

In comitiis, statuum suffragio, in ordinem delectorum Ann.
1593. ascitus, honore publico auctus & stipendio,

Singula comitiorum momenta operâ memorabili conges-
sit, digessit: præcursantem temporum rerumq; successu Ann.

1595 suscepit vicariam: immò cum coram Rodolpho, Cæ-
sare Augustissimo, verba facere iussus, patriæ

Causam asseruisset, egisset graviter,
prudentiâ eloquentiam temperasset,

L

Cæsa-

Cæsarem, consiliumq; sanctissimum dicendo sibi concilia-
set, præfecturam provinciæ ipsi An. 1594. solenni-
tè contulerunt: sed & brevi post Cæsaris curâ scituque Consiliariâ
amplissima dignitate & titulo insignitus, à Matthia Rege se-
renissimo An. 1611. legitimè confirmatus, utriq; satisfecit, u-
triq; fidem suam probavit & prudentiam, patriam, &
universos studio sibi æternum devinxit,

Ad officium vice-præsidis in districtu Budissinensi Ann.

1606. delectus, admotus,

us reddidit suum singulis, universis, rerum etiam suarum &
valetudinis dispendio, nec affectu excæcatus, nec
pretio corruptus,

Contra adversantium assultus, causæ confidentia, Justissimi
autem numinis confidentia satis securus.

Binarum factus vxorum maritus,

Mariæ à Lauterbach, & Helenæ à Scoppin, matronarum ra-
râ virtute, constanti in maritum fide: utramq; impensè am-
plexus, & tutatus. Illa improlis An. 1605 ex mortalitatis car-
cere excessit: hæc liberorum quatuor ipsum salutavit paren-
tem, sed, maturimâ morte, antequam adolevissent, præ-
repti. Calamitatem masculè tulit, dolorem spe melioris vi-
tæ mitigavit, se ipsum ad mortem excitavit, animavit, con-
firmavit, vita & fide: hæc Jesum suum ætissimè apprehen-
dit: illâ officii sui, qua publici, qua priuati partes religiosè
tutatus, dum propitio fato urgente, per mortem ad æterni-
tatis & immortalitatis consortium An. 1618.

vi Junii: aspiravit.

Cujus piissimis manibus

hoc monumentum, quod ipse sibi fieri testamento iussit, de-
dicatum & heredis impendio erectum.

Ante diem moriens non moritur moriens.

Ergo me Fratris lethum prævertit, & ora
Funestâ taxo obnubere mæsta jubet?
O dolor! ô lacruma! sum certè in funere funus:

Cum Fratre & condi marmore eodem ardeo.

Verius ille Pater mihi erat, quàm Frater: ita omni

Tempore res visus amplificare meas.

Sed non accentus miseri, tristisve cupressus

Hunc iuvat, aut Manes hos revocare potest.

Ergo vale, FRATER longè charissime, meq;

Expecta, astriferi sanctus in arce poli.

Vivere dulce mihi fuit ut tecum orbe sub isto:

Sic erit & tecum vivere dulce polo.

ABRAHAM à METZRAD;
in Malschiz, moestissimo animo scr.

Fulcrum justitiæ METZRADIUS astra petiit;
Cum patriâ DIVI Cæsaris aula gemit.

Heu quantum, Proceres, Heroem patriâ plangit,

Vix similem donis post habitura Virum!

Quem pietas, candor, virtus, mens conscia recti

Ornârunt, rapuit mors minus aqua SOLO.

Fata modum statunt. Migret ut telluris alumnus

In terram rursus, Parca severa jubet.

Interea fasces capiat Rex ætheris alti:

Surroget & functo vitæ animoq; parem.

Communem & publicum luctum contestatus, in tristis ap-
paratu, ad deductionem funeris invitatus, morè animo

SIGISMUNDUS à GERSDORFF
in SEHF, Ducatus & provinciæ

GÖRLICENSIS Senior.

Heu aderit nostris ingens mutatio terris,
 Si nobis rapiant hunc quoque fata virum.
 Scilicet è Sodoma Lothum Deus extulit urbe,
 Cum reprobos Stygiis contumularet aquis.
 Sic cecini, cum Metzradio jam morte peremto,
 Gorlicidum Phœnix, & à vita plurima gentis
 Gloria Noctitius lecto decumberet ager.
 Sed tulit hunc quoque Parca virum: Deus omen in hostes
 Transferat, & Lusatis æternum servet honorem.
 Et servat certè! quoniam pietate, fideque
 Præstantes populique duces, jurisque ministros
 Substituit, mentemque dedit sub tegmine Cœli
 Fortiter & cautè securum vivere fatum.
 Ah modò res Sodoma, si mens non lævafuisset,
 Qui potuit servare dolor, probitas, fidesque
 Crescat apud teneros, duros emolliat ather,
 Spe qui vis sua damna levet, sua munia præstet.
 Ceu quondam monstrabat iter Metzradius heros,
 Inclutus invidiam supra, cujus quoque dotes
 Momus amat, votoque petit redi viva jacentis
 Consilia, ast frustra: quia jam præsentia præstant.
 Scilicet est melius præsens agnoscere donum,
 Quàm præterlapsum concupuisse bonum.
 Scilicet est satius cœlestem querere vitam,
 Quàm terrenorum præposuisse fidem.

NICOLAUS à GERSDORFF.
 Fundi-

Fundite, METZRADUM creti de stemmate, fletus:
 CASPARUS METZRAD, vestra corona jacet.
 Debuerat longum meritò qui Nestoris ævum
 Vivere, nunc (ebeu) funus inane jacet.
 Infelix mecum luge ô Lusatia, luge,
 Et luctum lacrymis testificare tuum.
 Nam cecidit, quo tu ceu fulcro nixa stetisti:
 Quemque Tuum poteras jure vocare Patrem.
 Hic vir prudenter dubias componere lites
 Judicii norat dexteritate sui.
 Consultor sapiens, Judex erat omnibus æquus,
 Ingenio magnus, nec gravitate minor.
 Ipsius ad vultus effrenus quisque tremebat:
 Verbaque METZRADI fulminis instar erant.
 (A multis unum, res est non parva, timeri:
 Gratia fidereis sedibus illa venit.)
 Multa loquebatur paucis sermone rotundo,
 Et culta in lucem carmina sæpe dabat.
 Lucebat Pietas, lucebat mirus in ipso
 Vera & salvifica Religionis amor.
 Nec tot donata tamen potuerunt flectere Fatum,
 O quàm non flecti: ferrea fata queunt!
 Omne bonum mentis spernunt immitia, spernunt
 Omne bonum sortis, corporis omne bonum.
 Quæris ubi Salomon, quo non sapientior alter?
 Unà responsum do tibi voce, FVIT.

Quarum

Quæris ubi Cræsus, quo non opulentior alter?
Vnâ responsum do tibi voce; FUIT.
Quæris ubi pulcher sit filius ille Davidis?
Vnâ responsum do tibi voce, FUIT.
Sic quoq; majores nostri, pia turba, FUERUNT,
Et nos nosteritas fera, FUISSE, feret.
Sic & tu METZRAD præstans virtute FUISTI:
De te vox etiam dicitur ista, FUIT.
Has annis utinam rexisses pluribus oras,
Nec tibi adhuc vitæ stamina rupta forent.
Forſitan in tanto rerum nos turbine poſſes
Conſiliis, aliquâ parte, juvare tuis.
Sed te, bellorum ſurgentibus undiq; ventis,
Intuto voluit providus eſſe Deus.
Nec tu nunc Satana ſtructas hoc tempore nobis
Inſidias metuis, nec fera bella times.
Pro curis requiem, pro luctu es gaudia naſtus:
Sanctorumq; vides, aligerumq; choroſ.
SALVE ſidereæ, METZRAD, novus incola ſedis,
Atq; hoc inſcriptum marmore carmen habe:
Hic ſitus eſt Metzrad, Præſes Luſatidis oræ,
Stella ſui generis, Pieridumq; decus.

ULRICUS à NOSTITZ

Eq. Luſat. F.

anno

Vo oblit CASPARVS METZRADIVS.

Honori

Honori æviterno

Incomparabilis viri, Dn. CASPARIS à METZERADT,
 in Malſchiz & Doberſchitz &c.
 ultimum elogium,

devotiſſimâ pietate dicatum, conſecratum
 ab HENRICO à METZERAD.

Occidit heu Patria, gentisq; ſue ornamentum!
 Occidit, humanis exceſſit finibus hoſpes,
 Cœleſtem civis dudum ſuſceptus in urbem.
 Nunc proceres lugete animis, qui munia honorum,
 Qui patriæ faſces nut antea peſſitis ævo.
 Juſtitia jacet exemplum: quin et hea virtus
 Et pietas buſtum ſupremâ laude Coronant.
 Sed te præſenti felicem fata ruina
 Præripiunt, tibi decernunt cœleſte brabeium.
 Non audita tibi triſtis ſpectacula belli,
 Nec clades audita, aut ſtrages miſeranda bonorum:
 Nec mage regnorum verſas in pectore motus,
 Qui jam nunc Superos apud, at ſine fraude, triumphas,
 Quiq; novo fulges donatus munere vita. (res.)
 Accipe, quos tandem METZRAD tibi ſolvit hono-
 Quæq; tuo ſtatuit pietas monimenta labori.
 Qui patriæ Carus, rebus qui natus agendis,
 Quiq; ſuum tribuit cuiſvis, qui reddidit æquum
 Civibus, in tenui requieſcit molliter urna.
 Mens ubi ſit, quæris? ſuperas exceſſit ad arces.
 Quid ſuper eſt? virtus etiam poſt fata ſuperſtes.
 SUSPIRIUM

SUSPIRIUM

TOBIÆ DE SCHVVANENSEHE ET
Bregoschitz, cognom. SCULTETI, Hæreditarii

in Hirschfelda, S. C. Majest. Consilarii, Fisciq; Regii per
Silesiam & Lusatiam Inferiorem Patroni, Comi-
tis Augustalis Palatii & JC.

Hoc ergo fatis deërat, prò tempora! nostris,
Vt Te, METZRADIÆ decus indelebile Gentis,
CASPARE, & Recti columen, Pietatis asylum,
Eriperet terris duræ inclementia Mortis?

Quamquam ô! quid mortem, quid inexorabile fatū
Incuso? Deus, ille Deus, cui pectore toto
Te vivens dederas; cui Te tuaq; omnia tutò
Credideras; tantis præreptum impunè ruinis
Transtulit in Patriam veram, sedesq; quietas.

Nam quæ circumstant jam nos hinc inde pericla,
In medio est: sunt ante oculos bella, horrida bella
Cognatos inter Populos, Dominumq; potentem;
Infausta exercet miseros discordia ciues;
Arma fremunt omnes vicinæ ex fœdere gentes;
Nec spes pacis adest, certæ nec imago Salutis.

Fortunate senex, Cœlo securus ab alto
Cum SOCCERO nostro, qui cum tibi plurimus usus
Olim erat in vita, nunc hæc ludibria cernis!
Nos alia ex aliis, tanto discrimine rerum,
Ingentes inter curas, infata vocamur.

Occidit

Occidit heu columen Patriæ Metzradius heros,
Occidit heu columen Casaris & Camera.
Enthea quem virtus vera pietatis adornant
Et probitatis amor, justitiæq; favor:
Et quem rara Virum celebrat prudentia rerum,
Publica, sic salus privata proposcit opem.
Quod loquor, expertus loquor, ingeniūq; magistrum
Monstrat opus, nec opus teste, ubi res loquitur.
Marchia testis cris, tum regia Casaris aula,
Quod tibi præsidio, consilioq; fuit.
Et quidni fuerit? quem tot suspiria vivum
Jam repetunt, Caspare ô redi-vive fores.
O redi-vive adsis! si hanc corpore, numine saltem.
Nunc animi, ut turbis tempora plena juves.
Nam tua dexteritas moderataq; consilii vis
Fluctibus in mediis sæpe probata fuit.
Sed quid te ex requie huc ad nostræ gravamina turbem?
Quem Deus humanæ sorte vacare cupit.
Tu fruieris pacis fructu, nos horrida bella
Undiq; terrarum & sæva pericla premunt.
Nec patet eventus, cum blandula Palladis aura
Flaverit, heu patrii grande doloris onus!
Vita ærumnarum est mole obruta, mole laborum:
Vivere cui grave sit, sed magis dulce mori!
Vive ergo in requie Caspare ô at-bris ocelle,
Vive & cum Christo gaudia mille cape.

M

Quis

*Quis pacem inuideat tibi? inevitabile fatum
Nostrum est ferre, an quis fata domare potis?
Hora aliquando cadet, quam pax comitabitur hujus
Alteriusq; avi: FATA VIAM INVENIENT.*

JACOB. BORNITIUS J. C.
R. dolfi & Matthiæ Cef. per aliquo-
ar nos, nunc Friderici Regis Bohem:
Coniliarius, & fisci regii per utrumq;
Marchionatum Lusatiae Sup. & Inf. pa-
tronus, defuncti devotus Comp. mæ-
rens fudit *avrogedia*.

Eusebie, Eunomie, ite Dea, ite Dea, ite novena,
METZ RADIO exequias atq; parate Dea.
METZ RADIO! radiis vos qui irradiavit, & ipse
A vestris radiis qui irradiatus erat.
Quos inter radios dubia Antiperistasis orta est,
Qui solum caperent METZ RADIUM radii.
Empyreï vestri radii vicere, solutum
METZ RADIUM a fece ut purificare soli.
Soli illi totum ceperunt, totus is ergo
Nunc fulget vestris METZ RADIUS radiis:

S. S. S. S.

J. SEUSSIUS DRESDE.

Eheu! fata subit Metzradius ille Themistos
Inclutus Eugeniæ, Uraniæq; decor.

Per

*Per benè-Lusatidos-longum Capitaneus ora
Tempus, & Emeritus non sine laude PATER.
Cujus ego excelsas animi dum cogito dotes,
Non possum gemitus dissimulare meos,
Lapsam in deterius cum primis quando recordor
Rem, qua defuncti nunc sibi poscit opem
Heu brutum feritatis opus! discrimine nullo
Siccine mors hominum sævit in omne genus?
Ergo nihil generis splendor, nil mentis acumen,
Strenua vel virtus dexteritasve movet?
Nil penitus. Lex ista manet, moriatur oportet,
Quicumq; è terra pulvere factus homo est,
Omnes aqua manent stipendia debita noxa;
Quisquis agis vite tempora, disce mori.*

Patrono, amico & compatri merens
merito f.

ABRAHAMUS CAULIUS
Ph. & U. J. D. & ord. Eq. in sup. Lus.
Synd. & Advocatus.

Ingenio, Genere, herois Virtutibus, altum
mente Polum, & Mundi nubila fronte terens
Occubuit notà Metzradus clade, decenter
Vitalis ponens corporis exuvias.
Nec Fati revocare gradum vis virvida mentis,
nec firmi potuit pectoris indicium,
Non virtus unita, pia nec adorea Vita,
non Honor, aut gazæ fertilis urna bona.

Occu-

f. Petrus Poleniũs. U. J. D.

Scribeb. Ἐμνεΐας χάριν

IN calos vebitur victor METZ RADTIUS heros:
 Qui vicit mundum, sic, rediturus, (a) abit.
 Regnum calorum rapiens, (b) altissima quæq;
 In vita extollens, (c) exit hic æquo animo, (d)
 Consilii magni vir, judicii, pietatis
 Dum moritur, vivit: tollit ad astra caput:
 Et mentis partem meliorem reddit eidem
 Ipse qui dedit & vivere, quique mori. (e)

Нас

(a) *Mors quam pertimescimus intermitten vitam, non eripit, veniet iterum qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi obliatos reduceret, &c. Aequo animo debet rediturus exire. Seneca epist. 36. (b) Matth. 11. v. 12. A diebus Johannis Baptistae usque nunc regno caelorum vis offertur, & violenti rapiunt illud. (c) Habet hoc in se generosus animus, quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant, & sordida: magnarum rerum species ad se vocat, & extollit, Senec. epist. 39. Satis magnum alter alteri theatrum sumus, Sen. ep. 7. Id agamus ut meliorem vitam sequamur quam vulgus &c. Senec. ep. 5. (d) Sen. epist. 24. Vir fortis, ac sapiens non fugere debet à vita, sed exire. Magna res est, & diu discenda cum adventat hora illa inevitabilis, æquo animo abire, Senec. epist. 30. Hoc quotidie meditare, ut possis æquo animo vitam relinquere, &c. Ultimam horam placidi expectare debemus, cujus metus omnes alias inquietas facit. Senec. ep. 4. Senec. ep. 29. Sic istud natura disposuit, Spiritum tibi tam unus eripiet, quam unus dedit. (f) Ultima lectiones & meditationes sacra defuncti erant in hac vita, prout eas paulò ante obitum mihi commendabat piissima anima, Caroli Scribanii Amor Divinus, & Philosophus Christianus, & Joannis de Pineda commentar. in libr. Jobi. *Godeschidur glies a Milzer, 1736**

Aetur a hand facilis METZRADIA! LUSATA tel-
perdidit, heu quantum Delicium atq. jubar! (lus)
M 3 Oju-

O jubar, æquiparans jubarâ illa antiqua, Toparchas,
 Quorum Dexteritas vernat in Historiis.
 Ecquid METZRADIUM tenui describere tentem
 Versu, quem versu dicere nemo potest.
 Cujus Fama, Fides, Probitas, Sapientia, Virtus,
 Se Mundi extendant extimam ad usq. plagam.
 CONSILIUM immensâ MENSURA hic unicus, omni
 Consiliis inopi contulit arte gravi.
 Hic commune Bonum, Patriæ & Pater exstitit. Ipsis
 Utibilis Musis, utibilisq. Deo.
 Hic, velut è speculâ prospectans mille pericla, &
 Nos circumstantis sortis amariciem.
 Immundi mundi tandem satur, & satur hujus
 Vitæ arumnosa, dissolvi cupidus.
 Fit compos voti, terris emigrat iniquis,
 Asscriptus latis latus olympi colis.
 Hinc obitum, hinc abitumq. viri Respublica luget,
 Tam Carumq. CAPUT, vâ, cecidisse, gemit:
 Insculpens saxo carmen, quod duret in annos:
 METZRADIUS IACETHIC, ORBIS HONORUS HONOR.
 JOHANNES WEIDNERUS
 D. Physicus Thallorcus.

Nunc lacrymis oculos explere, Lusatia, tempus
 Metzradi interitu: nunc indulgere dolori
 Tempus: delictum sibi quo periisse Camana
 Ipsa nunc lugent merito: deplorat Apollo.
 Extin-

Extincto, omne tuum Lusatia decedit, illo
 Præside præsidium: Justî defensor & Æqui.
 Nestoræ tria dignus erat qui sæcla senectæ
 Viveret: & tua, DORN AVI clarissime, dignus
 Perpetuâ faciat quem vivere laude Camana.
 Parcite nunc lacrymis: quibus baud reparabile damnum.
 Non obiit: sed enim virtus post funera vivet
 Metzradi, & quovis durable nomen in ævo.

Condol. ergò adponeb.
 CASPAR GROSIVS U. J. D.

Lusatia Præfectus erat METZRADIVS: ejus
 Caesaribus virtus, estq. probata fides.
 Quem pietas verè: reram experientia: magnum,
 Insigni fecit non sine laude, virum.
 Dulci pro Patria quàm strenuus usq. ferebat
 Consilia, eventu prosperiore satis.
 Dum benè obit munus: dum rectè cuncta ministrat,
 Ad superos tandem, sanctè obit, ecce abiit!
 Ah tantum, talemq. virum: quem vivere dignum est,
 Quemq. videre juvat, Terra tegit tumulo!
 Quid superest lati Terris cùm tristia Letbum
 Tristibus accumulet Funera Funeribus?

JACOB. BEHRNAVER.
 D. Lusatia Superioris
 Archiater.

METZ:

METZRADII Manes à funere vivere certum est:

Nam vivus meriti vir melioris erat.

Dicunt hoc Musæ, quibus omni servit ævo,

Ingenio juvenis, mente vir atq. manu.

Dicunt hoc Themis & Sophie, Suadela, Saisq.,

Fultaq. Majorum stemmate Nobilitas.

Dicunt hoc Probitas, Candor, Pietasq., Fidesq.;

Religioq. sacris dedita sola libris.

LUSATIA in primis meritis his prospera gaudens,

METZRADII Manes vivere, dicit ovans,

METZRADII Manes vivunt à funere: vivit

METZRADIUS meritis (Livorabito!) suis.

CASPAR CUNRADUS

Phil. & Med. D.

EXcubat ad busti limen dilectio mærens,

Virtutum custos: quis vigor, urna brevis.

Religio, Pietas, Meritum, Sapientia, Candor

Hoc requiem Saxo, MEN Scapit arce polt.

Mirum! mortales nî præside spiritus ornet,

Harum unam, extincto vivere Metzradio.

ABRAH. GASTO SYNDICUS.

Paro-

Parodia Odæ VII. lib. III. Horatii.

AD

NOBILISS. VIRUM, DN.

ABRAHAM. à MEZRADT IN

Malschiz &c. Ordinum Marchion.

Super. Lusat. ArchiSyndicum
digniss.

CASPAR. à MEZRADT IN

Dobereschiz, Sac. Cæs. Majest. Consilarii &

Marchionat. Super. Lusat. Præfeti, Fratris
sui obitum lugentem.

*Consolatur fratris sui obitum lugentem, dicitq. illum in co-
lis agere cum Deo, nec à dolis & minis Diaboli terreri, monetq. eum;
ut suo exemplo Deum vereatur, & veneretur, neq. patiatur
sibi imponi, quò plebi vitiosa se aggreget.*

Quid fles, METZRADIDE, quem tibi Atlanticus
Summâ restituet luce Diespiter,

Diva sede locatum,

Celesti celebrem fide

CASPAREM? ille nosis missus ad athera,

Post insana fori murmura, perpetes

Soles, non sine multis

Sanctus delitiis agit.

N

Atqui

Atqui Tartarea nauta voraginis,
 Succensere Deum, & terrificum tuis
 Dicens ausibus uri,
 Turbat mille vafer modis:
 Ut Ditem athereus Christus Avernicum
 Iustis impulerit judiciis, nimis
 Judao locupleti
 Maturare stygem refert.
 Narrat pœne datum Jobum Erebo nigro,
 Magnas divitias dum colit acer: &
 Desperare docentes,
 Fallax historias monet
 Frustrâ. nam Furiis fortior Orcicis
 Christum cernit adhuc ævicus. at, tibi
 Ne Saturnius Horcus
 Plus justo noceat, cave.
 Quamvis non alius ferre homines sciens
 Equè conspicitur mundo habitabili:
 Nec quisquam citus equè
 Christo cedit olympico.
 Omni luce Deum clange, neq. ad scelus
 Sub Mundo reprobi respice agematis.
 Et te sæpe vocanti
 Durum, difficilis mane.

BALTH. EXNERUS DE
 Hirschberga Professor
 Historicus,

Cera.

Certa Deo quoties hac stat sententia; bello
 punire, peste, vel fame:
 Ante viros sibi sat virtute, fideq. probatos,
 quæis nix a patria salus,
 advocat ex terris: mala ne, quæ immittit, amicos
 hos fortè conterant suos.
 Exempla haud desunt. Cunctorum tu instares unus,
 METZ RADE, quotquot se offerunt.
 Lusatis ora, scholæ, templa, & Respublica quævis
 id nos docent, & condolent.
 Nil hîc praterea addo. Hac verba inscribo legenda
 tuo sepulcro paucula:
 Molliter hac cryptâ METZ RADII emortua membra
 cubant: colit mens athera.
 Fata suprema senex subiit: cùm Martia Caesar
 arma in Bohemos stringeret:
 Vis causam? Ille potens Musis, virtute, fideq.,
 erat Deo charissimus.
 Hinc ipsum à facie placuit transferre malorum
 quæta cæli ad gaudia.
 O felix cuiung. datur sic vivere! felix
 cuiung. sic datur mori!

N 2

Am.

Ambros.

Perituræ urbis, aut malorum imminentium,
aut futuræ labis, hoc primum indicium est; si de-
cidant viri consultores.

Quando Philistæi sublimia tecta Theatri
Samsoni è fundo vertere cura fuit:
Substratas operi media sub mole columnas
Submovet: & subito machina tota ruit.
Fallor ego; aut talis, METZRADE, columna fuisti;
Lusatia incubuit cui quotacumq; Salus.
O Deus, o domuum regionumq; unice custos,
Parce precor regnis, regni colisq; tuis!
Et pro submotis alias substerne columnas:
Nutantiq; operi pronior ipse subi.
Sic gens, sic regio, nostra inconvulsa vigebit,
Lausq;, decusq;, & bonos in regione tuos.

GEORGIUS MANLIUS
Gorl. Art. Phil & Medic. D. III. Be-
thanæi Prof P.

Oculuit furva nitidos caligine vultus
felix Nobilitatis ador.
Ardua demisit in arcente cacumina flore
LUSATIÆ summus Nobilitatis apex.

Illu

Illustri Genio spiravit, & expiravit
Vividus omnimode Nobilitatis honos.
Aude, Musa: nec indecorem se talibus offert
Eulogiis: digno qui nequit ore cani.
Judicii iudex, doctrina doctor & artis,
Arbiter ingenii floridioris, ades.
Gentis ades juxta mentisq; oculissime censor:
Hic tibi per laudes arena lata patet.
Nobilior pars est animus: calo edita, Virtus
In cælum, famulo corpore nixa, redit.
Talis Pegasio subvexit in astra volatu
METZRADII Mignava nescius ardor humi;
Talis, ebur sternens regale, vicaria jura
Dicit antem docuit mel, Veneresq; loqui:
Quod Patria, & Slesis, tellusq; Bohemica nōrunt:
Posthuma quod recinet traduce Fama tuba.
Omnia sed meritis quæ maculant laudibus omnes:
Vnum DORNAVII singula claudit opus.
Debent Laudato, Laudatoriq; nepotes:
METZRADI, debes DORNAVIO; Ille Tibi.

VALENTINUS RITTER
Gorl. Medic. D.

Heu cecidit; cecidit nostri orbis Nobile sidus;
Orbis & heu Urbis firma Columna ruit.

N 3

Nimi

Nimirum METZRAD in vivis desit esse.
heu dolor; heu fletus. mortua cuncta jacent.
Caesaris aula virum hunc gemit; hunc gemit ora Lusatis;
Et Musa, imò Omnes, quod lacrimantur, habent.
Hic, erat hic MEK-KATH veluti Mensura referta
plenaq; Consiliis. nunc nece fracta jacet.
Ergò hac fracta: Alius quisquis sit MEK-KATH. Atqui
Hunc populo sapiens det Deus ipse suo.

ex pio affectu
submittebam

CHRISTOPHORUS CULIGIUS
Mifnicus Phil ac. Med. D.

Qualis populeâ, surrepti Turtur in umbrâ
Multâ gemens queritur tristia fata paris:
Et viridante sedens ramo miserabile carmen
Integrat: atq; nemus questibus omne replet:
Immemori pastus non, seu Sol atbere prodit,
Seu caput occultat gurgite, mæror abit:
Ipsa graves animi solari nata dolores
Nox, querulo planctu tota peracta fugit:
Talis Metzradii supera ad convexa vocati
Orba ope, fata gemit Lusatis ora sua.
Surpuit heu nobis alieno tempore Parca,
Cujus consiliis patria fulta, Virum!

Fle-

Flete decus vestrum divina Heliconis alumna
Luctibus intentæ: vester Apollo jacet;
Flos varum, quo candiduli fulsere nitente
Soles, atq; iovit purior ipsa dies,
Amplius haud nostro, jam cales, in orbe moratur:
Desit heu nitidum promere ab ore jubar!
Æthra suum repetit pignus, fruiturq; recepto:
Heu luctu nostro crescit oratq; polus!
Seria nunc luctus tibi, seria causa doloris:
Flendus hic est Heros, Lusata terra, tibi.
Quicquid habet multo coll: et a Phronesis ab usu (mis,)
Quicquid habet Peitho, quicquid et alma The-
Quicquid fatidicis Sapientia didit a libris,
Doctrinæ Latium quicquid et Hellas habet,
Scriniolo omne fuit complexus pectoris arcti,
Quod Charitum templum, quod pietatis erat,
Quo gratus rerum dominis, terraq; Monarchis,
Consultorq; fuit, Lusatiæq; Caput.
Hujus consiliis res Lusata floruit, hujus
Eloquio vixit publica, priva salus.
Felix Nisse fores, et felix Sueve maneres:
Ni luctu fueris quassus uterq; gravi.
Quam nunc tristitiam, dum Martia sevit Enyo,
Mors tibi Metzradii Lusatis ora ciet?

Orba

Orba parens velut unigena flet funera nati:
 Sic tu tota tuo praesidio orba gemis.
 Sed quid lamentis nil proficientibus insto?
 Defunctus studio jam fuit ille suo:
 Et fama satur illustris mortalia secla
 Exuit, & terra mole gravantis onus.
 Nunc fruitur, cujus spe traxit, quicquid id evi,
 Perpete conspectu colloquioq; Dei.
 Calicolas inter securâ sede receptus,
 Telluris superâ despicit arce pilam.
 Ille quidem felix ex omni parte: relictâ
 Qui sumus, heu meritò turba dolenda sumus:
 Quos usq; exagitat seu lucis avara cupido,
 Sive metus mortis, morte malum gravius.
 Has inter geminas, agitur quæ vita, Charybdes;
 Redditur infesta, & virvida vita minùs.
 Illi parta quies: nos anxia cura fatigat,
 Fluctibus in mediis nos ferus æstus agit.
 Subducta est anima, ab pia, tempestatibus atris
 Inq; vado certa certa salutis agit.

Scriptus à

M. ELIA CUCHLERO,
 Gorl. P. C. Gymnasii August.
 in patriâ Rectore.

Quis

Q Vis non, cui sana restat semuncia mentis,
 METZRADUM extremum plangat obisse diem?
 Et tantos inter motus rerumq; tumultus
 Consilio patriam destituisse suo?
 Consilio, cujus vi nempe Promethea vicit,
 Et Grajâ Pylum Nestor agente satum.
 Heu jacet Augustis carum caput! inclytæ terra
 Lusatica (ò cives) fama decusq; jacet!
 METZRADIA veneranda jacet stirpisq; corona,
 Insignisq; alias ante columna domus!
 Et jacet Eunomies custos Themidosq; Patronus:
 Sincera cultor strenuus Eusebies:
 Candoris prisci typus: integritatis ævita
 Exemplum: Heroæ nobilitatis apex!
 Et jacet in primis tantorum in culmine honorum,
 Divitis & tantas pectoris inter opes,
 Demissiq; animi fastusq; expertis imago;
 Vivâ Phœnicis rarior effigie!
 Quin jacet & Phœbi fautor Phœbiq; clientum
 Maximus, officiis promptus, amore, fide!
 Quos tamen eminuit tantum clarissimus inter
 Ipsemet, excultum Pallade pectus habens:
 Cynthia sidereos inter quantum emicat ignes
 Nocte serenantes lumine templa poli.
 Cetera quid memorem? quæ deterit arida Musa
 Digna Sophocleo carmine, digna cedro,

O

Et

Et quis adhuc dubitet, properato funere tantum
 Ereptum gemino lumine flere decus?
 Nec querulo repetat verborum murmure grande
 Afflicto columen praesidiumq. solo?
 Immotum sed enim lachrymis tragicisq. querelis
 Stat fatum & scitum consiliumq. DEI:
 Ipse nec aut fletus aut planctus poscit inanes
 METZ RADIVS, letus calite sorte sua.
 Nempe sat immunda exhaust tellure laborum:
 Sat patria impendit cura animiq. suae:
 Jamq. adeo fessus languentis corporis ossa
 Natali optato funere condit humo.
 Verum parte sui longè meliore superstes.
 Vita immortalis munera carpit ovans:
 Et mistus superis Heroum caetibus Heros.
 Aspectu fruitur colloquioq. DEI:
 Hic ubi certa manent sanctas solatia mentes:
 Et constans fidei premia cultor habet.
 Quantum ergo Patria casu damnoq. movemur;
 Jaeturam tanti qua dolet orba viri:
 Tantum METZ RADIO gratari ingentia fas est.
 Gaudia, post miseri tadia longa soli.
 Salve siderei novus hospes & incola cali:
 Aureaq. ante DEUM secla beatus age.
 Salve METZ RADI; meritorum fama tuorum
 Vivit adhuc terris; vivet & usq. Vale.

A. M. Johanne Ludovico.

KaMe

ΚΑΛΙΦΟΝ, ΑΓΕΤΟΝ, ΣΟΦΟΒΛΟΝ, ΠΟΙΚΙΛΟΜΥΘΟΝ,
 ΑΞΙΦΗΓΗΤΟΝ, ΡΗΞΙΔΟΛΟΓΟΡΑΦΙΟΝ.
 ΜΕΣΟΧΑΕΝ, ΕΡΘΕΝΤΑ, ΖΑΦΕΓΓΕΑ, ΡΩΜΑΛΕΟΝΤΕ,
 ΑΓΝΟΝ, ΔΙΟΓΕΝΗ, ΙΕΘΝ, ΟΛΩΣ ΣΑΦΕΑ,
 ΑΝΕΡΑ ΤΥΜΕΘ, ΕΧΕΙ ΟΣΤΘ; ΣΥ ΔΕ, ΟΝ ΠΟΤΕ, ΒΕΛΗ,
 ΣΗΜΑΙΝΩ? ΝΟΕΩ ΚΑΙ ΣΠΑΡΑ ΜΕΛΕΘΔΙΟΝ.

debit. cultus ergo scrib.

DAVID VECHNERUS

O lachrymosa dies, nigro signanda lapillo!
 Quam Patruus Letbo spirantia lumina solvit.
 Hinc dolor, hinc gemitus nobis, suspiria, luctus,
 Heu miseris restat; Patruo sed gaudia; plausus
 Atq. aeterna quies. Nam mortem perpete vitā
 Mutavit; nullos quae sit sensura dolores.
 Nunc Pictas victrix Tua Te super athera vexit:
 At nos hic tangunt, anguntq. incendia Martis.
 Tu Divis similis; letam cui gaudia mentem
 Calic aptentant; rabies at sevirior Orci,
 Durior & fati series nos undiq. cingit.
 Sic aeterna quies Tibi quae sunt, gaudia, plausus;
 Sunt dolor & gemitus nobis, suspiria, luctus.
 Fallor; an immotā sic sanxit lege verendum
 Numen. Non ulli hoc contra consurgere tutum.

CASPAR à METZRAD

O 2

sta-

stat sVa CVIq Ve Dies MortIs.

In publico Superioris Lusatiae luctu,

posthumia ἐν Φημίαν.

Sareptulae Camentianae,

ECCLESIAE, CURIAE, SCHOLAE,

non ingenii, sed animi grati & con-

dolentis notam apponentium.

1 A Vltâ nata LIVM & generosa profapia La VDe praestans,
2 sa Cra IVstia a DMInstrator & pla VeritatIs assertor,
3 Er VDIa nobilitatIs, Vera pietatIs, rara sapientia, rara

La Mpas

4 Gaspar à Metz erat.

generose natVs, beatè In Christo IesV DenatVs.

An. Natal.

A. Emortual.

i Non est Mortale, qVoD; qVoD fragile & Mortale fVlt,
opto. fVlt.

ii. Non Labor In DoMIno 6 InCreMenta sVppeDIa Vlt ser-
noster InanIs erIt. Vator noster.

7 FIDVs IMperatorIs, RegIs & LVsatia, Nissang regionIs AtLas,

8 a LIVDq VerIt poL'te Vma:
siquidem,

9 ConDIMenta hVIVs Vltæ,

10 sVnt DoLor, Labor, geMItVs, sVspIta.

Vita labor nostra est: Caro pugna perennis & Aura:

Jam Cor, jam corpus cura, dolor ve premit.

Intus lucta, foris luctus nos tangit & angit,

In fluctu cordis corporis angor adest.

sap-

11 sapiens à Deo praeCePtVs, patris Instar MansVetVs
12 magnItone IchoVæ, & plâ In Christo VM fIDe,
13 personaM & VICes Vltæ DeposVlt,
14 dIlIt portVM Internæ tranqVILLItatIs, & æternæ beatItatIs.
15 Anno à natIVitate DoMInI nostrI IesV CHRIsTI,
16 DeCI Mo qVinto, chel! IVnII GregorianI,
17 honorandæ senecrVtIs seXagesImo tertIo,
18 CLIMa CterI Co prater Cætero's senlbVs & totI profapia, sæ-
pè totI gentI perICVLofo.

*Ominer aut miner exitium tibi, Lusatia ora,
Jam funus, patria qui modò munus erat.
Dico quod metuo, non quod praesagio: Terra
Protendunt magnum funera magna malum.*

*Vates, cum pecudis COR non conspexit in extis,
Portendit patrio fata sinistra solo.
Christe Jheova veni, rex optime maxime regum,
Finem, Christe, malis impositure, veni.*

Ah statVente Deo, Mors LILia senlbVs æqVat;
19 hel natVra hoMInIs pè noVerCa DatVr.
20 MerItò DoLer trIsIs LVsatia, sVperlor parItter & Inferlor
21 Moerent VnIVersI: DIæ Cescos statVs,
22 TotVs In Moerore est heroICVs eqVestrls orDo,
23 TrIsantVr fIDeLes VrbIVMatLantes,
24 Moerent operantes & Laborantes In saCrâ ECClesIæ VIneâ,
25 & sChoLepVLVre.
26 Moerent bonIqVIs Vnt & Verè CorDatI.

VIXit.

27 **VIXIT**
 Deo, Monarchæ, Patræ;
 28 qVāMDIV potVItInCerè:
 Deo præ Vnte,
 29 CoMItanteplā VItVte,
 30 forMas rel sapienter & aCVtè cXpenDIt;
 31 easqVe eXaCtè & rItè DItreMIt.
 32 seMItas IVDICJpraVasfIerInonsInIt.
 33 prosperante Deo & VItVte CoMItres Vlgent.
 34 In generoso & genere & genIo EQVItE,
 & sapientIæ & eLegantIæ LaVDe
 præstantIssImo:
 35 CVMVerā pletare erVDItIo,
 36 CVMerVDItIone habItVs,
 37 CVM tenerā ConsCientIā InIgnis sCientIa
 beLLè CettaVIt.
 38 Verè faCta IpsI non Derogo,
 MInVs Vera non arrogo.
fas divina loqui dona, silere nefas.
 39 MortaLIbVs VaLere IVssIs, DEO,
 40 & DIVInIs rebVstotVM se faCrat: (bVs.)
 41 freqVens In faCrls & scrIā pletate refertIs MeDItatIonI-
 42 arDenssVblnDè fVerat In DeVotā preCarIone.
 43 QVaLI ab æthereo DeLabiVræthere nImbVs:
 44 TaLI sVena fVIt eLegantIs IngenII METZ RADIANI,
 45 In faCrls parIter & profanIs, Deo sospItatore nostro prospe-
 46 rante & properante, Itè cXpeDlenDIs,
 InprImIs In pangendIs EreostIChIs & VersIbVs.
 47 **saLVe**
 beata In Deo IchoVa anIMVLa,
 48 In nVLLIVs oMnInò bonItatIs InDigentIā,
 49 In perennI MerI gaVDIIs VffICientIā:

saLVe

saLVe
 beata In Deo IchoVā anIMVLa,
 soLo qVIDeMerepta, PoLo Verò &
 IchoVæ InIerta,
 53 faCra qVæ non aVDIstI, aVDIā Deo:
 54 In re faCrā qVoD non VIDes, VIDE.
 InsignIs sILesIæ & LVfatIæ oCeLLVs,
 pro MarChIo,
CAROLO-HANNIBAL,
 BurggraVIVs à Dohnâ Liber Baro wartem-
 bergæ, & præLIæ, &c.
 &
 EMInentIs DignItatIs & aVthorItatIs
 CapItaneVs
 ADOLPHVs à GÖrsDORF In cVttenborn, In
 RVhLand & RattWItz, &c.
 VIVant
 Deo & MarChIonatVI.
 sanCto DeVs,
 terrā Inter se DIVIDVā,
 T VNI & MVNI hosIaCro Verbo TrIdos.
Nullus ubi Invidia, dividuæq locus.
 protege ChrlstIaDVM genVs, asserere, protege IVstos:
 De LarIbVs nostrIs MaVortIa teLa fVgato.
ECCLESIA, CVRIA, sChOLA
CaMentIana VoVet.
 An. O. R.
 Inte IchoVa, spero, non ConfVnDar In aternVM.

I.

Officii Vitæq; satur mortem meditatur

CASPARUS Á METSRADT
CAPITANEUS.
Anagramma.

SIN' META TACTA DEUS, SUPRA
PASCAR.

SImea meta Deus tacta est, super athera pascar,
Sum vita sudans officiiq; satur.
Dissolvi & tecum (ast fiat tua CHRISTE voluntas)
Cordicitus cupio vivere in arce poli.

II.

Ponderat atq; optat subsequutura necem.

CASPAR VON METSRAT.
Anagramma.

SPARTAM NACTUSERO.

Immoriar: moriar non: sed vivam moriendo:
Sparta mihi parta est, hinc ego saluus ero.
Cœlica post mundi Io praelia prœdia sumam:
Cœlica per CHRISTVM Sparta parata mihi.

III.

III.

In horâ mora
idco
provocat mortem.

CASPARUS VON METCSSRAT.
Anagramma.

ASPERA MORS CUNCTATUR.

ASpera mors quid cunctaris? quid telâq; differs?
Cum mihi sis vitæ janua certa mea.
Accelerans fragiles dissolve hos corporis artus:
Aligeri expectant excipientq; animam.

IV.

Placidè dissolvitur

CASPARUS VON METSRAD.

Anagramma u. proposita.

NUNC PURUS AD ASTRA
M E O.

EIa, age! cœlituum gaudens comitante cateruâ
Sanguine nunc CHRISTI purus ad astra meo.
O felix iterum felix iter! itur ad astra:
Salve ô sancta Trias! cœlica turba fave!

V.

V.
Fruitur beatus vitâ beatâ
CASPAR VONN MÛTSRAT
Anagramma.
SPARTAM NACTUS CRNO.

UT Regem Diadema; ut fulgidâ gemma Coronam
Ornat, sic ornat vera fides animam.
Me sincera fides facit esse poli quoq; regem,
Iustitiâ impôsta est pulchra Corona mihi.
Nulla nocent peccata; tegor cum veste perenni
Iustitiâ CHRISTI quâ pius ornor ego.
Ornor; Et natus jam ipse astra regna suborno.
Gloriam CHRISTI gloria facta mea est.

JOHANNES SUBGIUS RAU.
Petrus S. V. Ecclesiæ Pater & Past.

CASPARUS à MEZERAD

† litera
Græcâ Z re-
soluitur in
geminū ff.

PURA MASSA ES; CREDAS

Πεσοφωτισ
ad

defunctum.

Sancte senex, PURA ES moriendo MASSA lebova,
CREDAS; dum moleris mortis agone tua:
Ut dixit se consolans Ignatius olim;
à brutis postquam dilaniandus erat;

Ecce

Ecce Dei sum frumentum: quia dente Leonum
permolor, hic purus panis ut efficiar.
Sic, pia mens, CREDAS, quod sis purissima MASSA:
vivifico quoniam pane fruaris ovans.

AMBROSIUS SCHNEEWEISS.

Gorl. Præceptor P. in Illustri Be.
thaneo.

I.

Non ego METZRAD Imanes deslere Camœnâ
lugubri incipiam: fletu non indiget Heros.
Nunquid ob It, quamvis abiit? Sic præstat abire.
Reddidit una Hominem Cæli migratio Divum.
Ante vagabatur: nunc fixa in sede triumphat:
atq; triumphando Mundum cum Damone vincit.
Felix, cui tali licet exultare triumpho;
non moritura refert laudis præconia: VIVIT.

II.

METZRAD Itumulo querulum superaddere tessum
dum mea Musa parat, accinit istud epos:

METZRADUM Genus Et Genius decorabat in Orbe:
sustulit in Cælos Altipotentis Amor.

Sigfridus Glich à Milzitz.

ARdua quem Virtus ad summi culmen honoris
METZRADUM antiquo de sanguine vixerat
ortum.

P 2

Mors

Mors eheu! violenta rapit, volucrig. sagittâ
 E medio tollit meritò hinc Lusatia mœret,
 Ejus enim ingenio & curâ vigilante vigere
 Inq. choro, inq. foro, inq. toro rem vidimus omnem.
 una **IUSTITIA** M. verbo sic dicere fas est.
 Pleñere enim fontes, mactare & honore & amore
 Iustos atq. bonos, ad munia tanta vocatos
 Addecet, ipsa jubetq. præitq. ita Diva potestas.
 Hinc sibi Lusatia patriam Præfatus amore
 Totam demeruit, nempe hoc industrius ausu.
 Et tantis meritis qua gloria major habetur?
 Ergò post cineres nomenq. decusq. manebunt.
 Nos anima benè sit, celsum veneramur Jovam,
 Ut Paradisiacis in sedibus ipse Dynastas
 Tales porro velit largiri, qualibus æquum
 Et jus subsistant, & perpete flore virescant.
 Hos, inquam, dare Iova velit, Pacisq. Charisma,
 Et bona de reliquo vita quibus indiget usus.

honoris & mem. ergò pangebam
 Johan. Schidelius Bud. Not. auth.
 & Sch. inspector.

TAntis & tot præreptis, **METZRADIUS HEROS**
 additur, beu fato non patiente moram?
 Crudeles equidem turmas, & probra furentis
 militis, infandas effugit atq. vices;

Est

Est tamen **ASTRÆ** fatum crudele, **BONÆ** 2;
MENTI; quod fulcro privat utramq. suo;
 Impia gens dominatur ubiq. & iniqua tyrannis,
 Fraudibus impugnans intima corda suis?
 Angitur in crepero **PIETAS** discrimine, raptum
CANDORIS queritur, **SIMPLICIS** & **FIDEI**:
 Nec patet, anne dolenda magis præsentia damna,
 num ventura magis sint metuenda mala.
 Iova parca **BONIS**, tales & suffice; caudam
 scinde Draconis, Eris ne superare queat.

Abrahamus Grosmannus.

Nonte **ZEDLICI** satiarunt funera, Morta
 Effera: nonte placavit **SCHONAICHIUS** Heros:
 Nec quoq. qui sequitur Præses **BURGHAVSIUS**, ipse &
NOSTICIUS, quantus **NOSTIZIUS**? ille Patronus
 Hei? meus. Hei? taceo quæ reliqua dira negarunt
 Fata Silesiacis fortissima pectora terris.
 Nec tua sedata est rabies: Silesia nondum
 Sufficit: ast una, vicinâ in Lusatis orâ,
MEZRADUM aggressæ es, simul et qui ponè secutus
 Alter **NOSTICIUS**: nec & his contenta. Sed inde
 Quid lucri restat? Mundo qua clara negasti
 Pectora, nunc uno Cælum fovent agmine. Fausti.
 Quos Mundo creptos ad sidera Fata tulerunt.

f. Joannes Hagendorn Gorl. Luf

P 3

Sicci-

Siccine Parcarum falx importuna prophanat
Somne sacrum: & damnis foedat Lusatidos arva
tot Magnis nudata viris, tot lesa ruinis:
Ut quoque MEZRADI caput (heu) lethalibus umbris
occulat; & genio Patriam defraudet amœno?
Ille & Principibus carus, carusque Camœnis
extitit; atque probè stadium virtutis & Orbis
emensus, pietate, fide, MEZRADIUS Heros.
Ipse tamen domita superavit flumina Letbes
Virtutis navis: terris super alite Famam
eminet: & patrio adscriptus novus incola Cœlo
Stellarum in morem fulgebit honoris amictu.
Hic demum est palmaris apex: hac meta laborum.

Friedericus Rapp. Holland. Borus.

Accipe funeream, pullata Camœna, cupressum!
MEZRADIUS superâ deivit vespier aurâ.
Quid loquor? heu gelidus coit in præcordia sanguis!
Tam sanctum heu caput, & irveum, & venerabile pe-
Pulvis atrox foedet, tristiq; recondat in urna! (Etus.)
Accipe funeream, pullata Camœna, cupressum!
Ille erat, ille animi qui divite fœnore dotes
Convertit patriæ in magmentum illustre salutis,
Eloquii vires, jura Eunomiæque Dicesque
Scita Camœnarum, fideque oracula Peithus.
Hei mihi, quam chara est, ac copia rara Virorum,
Scire datum quibus, & scitis feliciter uti.

Acci-

Accipe funeream, pullata Camœna, cupressum!
MEZRADIUS curâ fervente notarat ad unguem,
Quidquid in Annales retulit veriscia Cleio;
Vade sibi expromsit documenta illustra vitæ,
Et fecit faciendâ idem, fugiendâque fugit.
Noverat imprimis Patriæ monumenta vetusta:
Unde quis Historici signaret schema libelli;
Si constaret honos, & præmia digna labore.
Thesaurum hunc mater tellus in ventre sequestrat.

Accipe funeream, pullata Camœna, cupressum!
METZRADIUS, quanguam æstimio dignatus, avito
Stemmata quæis polupe est pictos ostendere vultus
Majorum, & laudum quæerunt in origine gentis;
Nec tamen invidia hos oculo limavit iniquo,
Quos sua nobilitat proba mens atque inclita virtus;
Quos fera dieteris incessit turba Cyclopum.
Illum etiam calido complectebatur amore
Turba, Novensilium quæ castra secuta sororum.

Accipe funeream, pullata Camœna, cupressum!
Illum etiam Proceres Patriæ, Patriæque Parentes
Delitium coluere summi sanctamque Parentem.
Et jam publicitus nutante cacumine rerum,
Hei mihi! consilii non vanus quaritur autor.
Ipse Augustali radians diademate Caesar
Jam videt ereptum illustre, ac dolet, ornamentum.
Vir bonus oraculum est communis & orbis & urbis.

Acci-

Accipe funeream, pullata Camœna, cupressum!
Quid gemitus cieo, atq; iterum illat abile murmur?
MEZRADIO in calis agitur, sine nubibus, ævum:
Salvifica buc Illum pietasq; fidesq; locavit,
Atq; animus scelerum vindex: acerrimus osor
Infamis secli, Tutor justiq; boniq;
Hac ornant vitam, & post tristia fata coronant.
Verte, Camœna, modos: victori porrige laurum:
„Non illum planctus decet, aut infanda cupressus,
„Quem super æthereos sua Virtus extulit orbes.

F. Berhan. ad Oderam

Caspar Dornavius.



CASPARIS DORNAVI
 EQUES CHRISTIANUS,
 hoc est,

DE VITA ET MORTE

MAGNIFICI AC GENEROSI

VIRI,

D. N. HIOBI à SALZA,

TOPARCHÆ EBERSBACHI ET

MAJORIS CRAUSCHÆ

&c.

II. CÆSAR. AUGUSTISS.

CONSILIARI &c.

PANEGYRICUS PARENTAL.

Bethaniæ ad Oderam dictus.



T. Y P I S

JOANNIS DORFERI.